


DE DIVERSIS REGVLIS IVRIS

antiqui, tituli decimi septimi digestorum, seu Pandectarum libri quinquagesimi, vna cum interpretationibus Francisci Iammetii Textoris.

PARISIIS,

APVD MICHAELEM VASCOSANVM, VIA AD DIVVM IACOBVM, SVB SIGNO FONTIS.

M. D. XXXIII.

NOMINA PRVDENtium, ex quorum libris, titulus iste cōpositus est & cōcinnatus.

Paulus	1	*Mætianus*	8
Vlpianus	2	*Hermogenianus*	9
Pomponius	3	*Venuleius*	10
Caius	4	*Marcellus*	11
Iulianus	5	*Celsus*	12
Iabolenus	6	*Modestinus*	13
Scæuola	7	*Licinus Rufinus*	14

R. P. D. IACOBO CHALANCONIO ABBATI SANCTI AMABILIS APVD ARVERNOS FRANCISCVS IAMMETIVS TEXTOR, S. P. D.



Ccasio mihi sese obtulit, ut aliquos labores, quos in iure ciuili insumpsimus, tibi dedicarem: ea mirum immodum mihi grata fuit: quũ planè sciebam te cãdidè disciplinæ legalis, æquè amatorem, ac peritum. Deinde non diffidebam eorum, quæ enarrauimus fore, & tutorem & accerrimum defensorem. Nam putaui, cum in tua familia, quiquaginta Pandectarũ libros euoluerem, pulchrè sumi argumẽtum, ut tuæ nobilitati nuncuparem interpretationes legum (quas uocant regulas iuris) à nobis cõscriptas. Ingratus quidem, & acerbus nimis pro tot, tantisq; in me beneficijs uiderer, nisi munus te non indignum (qui ex lectione iurisconsultorum tantam disciplinam retuleris) & hero & mecœnati meo persoluissem. Cum ego mirabiliter de-

beam dignitati tuæ, quam mihi statui habere dominam. Quam ob caussam necesse habui, cum ab hinc triennio domi tuæ per humanitatem, summamq; liberalitatem, adiunxeris. In qua quidem me & benignè, & humaniter perpetuò tractasti, quod erat longè infra tuam nobilitatem. Quod tibi non paruæ laudi duco, cum in familia clarißima natus fueris, ex qua multi, & militum præfecti, & reipublicæ gubernatores exierunt. Sed, ut taceam utriusq; parentis maiores, propinquos, & affines. Pater quidem tuus nobilißimus uir, atque integerrimus armis, tam potens & in Gallia, & ultra fines Galliæ fuit, ut eo in castris apud Italos immatura morte animam agente, sui exercitus expectatio omnis simul interierit. Nam bona pars illius (nemo enim est, qui ignoret) secum hoste intacto in patriã reuersa est. Cui uerò frater tuus Ioãnes Chalanconius Rupisbaronis dominus magnã spem de se præbens succeßit, adolescẽs cum bonus, tũ perhumanus, & in omni genere officij diligẽdus. Cuius crescente tempore adolescẽtia mirè candida in melius cõmutatur. Qui enim à primis annis in re militari uirtutẽ maximã, & in omni re prudentiã pollicetur. Sed ut uno uerbo dicã, ne pro breui uerborũ serie in immensum crescat hic sermo. Has interpretationes, si eo nomine dignæ fuerint liberali animo amplectere, & boni cõsule. Lutetiæ ex ædibus diuæ Genouephes è regione montis decimo quinto cal. April. M.D.XXXIII. Vale.

NICOLAVS

BORBONIVS VANDO-

PERANVS AD R.D. IACOBVM à Chalancone S. Amab. Abb. iuuenem ad omnia summa natum.

Non sat habes lingua praecellere Praesul utraq;,
Et forma, & generis nobilitate tui:
Set leges & quicquid habent ciuilia iura
Eruis, ardenter sensa retrusa petens.
At bonus ille tuus TEXTOR, *tuus ille laborem*
Istum incredibili sedulitate leuat.
Testis adest, plenus fructu atq; lepore libellus
Hic, quem nunc Genio dedicat ille tuo.

LEGVM STVDIOSO

F. IAMMETIVS Textor S. P. D.



N tibi, studiose Lector, à nobis succinctae quidem & breues admodũ lucubrationes prodeũt, quas inter enarrandum leges sub titulo de Regulis iuris, conscripsimus, non ut in uolumen excederent, sed ut pro enchiridio haberentur, interq; manus sine ullo pondere, & citra

nauseam deferri possent. Cum hæ leges, & si omnia in genere contineant, quæ in immēso legū pelago latent, sua tamen breuitate sibi simile desiderare uidebātur. Itaq; eas emittere nō longas, prolixasq; uoluimus, ut si dignæ lectu essent breui uerborū structura placerēt. Sin minus, ne diu te cum tædio remorarētur. Sed si hoc nostrū negociolū, aut profuisse, aut animū tuū delectasse, cognouerimus. Sanè facies cande lector, ut mihi, quod sit accuratius elaboratū, & diutius deliberatū succrescat. Cum iam habeā inter manus institutū, quod ad tempus certum, expectans huius fortunā, latebit. Quare, meliora expectando, interim his fruere, conatusq; nostros æqui boniq; cōsule, & uale. Lutetiæ.

INDEX LEGVM
huius tituli.

ERRATA.

Pa.	Fa.	Vers.	Lege.
1	1	22	sint.
1	1	26	huius.
2	1	28	mentiri aut circunscribere.
4	1	16	faceret.
4	2	5	fit
7	1	18	alij septem.
7	2	15	nomine nihil quidem.
8	2	6	definitum.
9	1	1	confirmabitur.
10	1	9	contrario
10	1	25	iniquoq; animo
13	1	22	Quis ergo?
14	2	21	præsens offertur.

Pa.	Fa.	Verſ.	lege.
15	1	12	*ne in ſyncera.*
16	2	15	*liceat fraudem.*
17	2	1	*ad quos peruenerit.*
17	2	18	*Nemini,*
20	1	13	*ſatis liquet.*
21	2	10	*lege ſi non ſortem.*
25	1	4	*Calamitoſius.*
25	1	10	*ſupercilium, oporteat.*
26	2	19	*Cauſſa.*
27	2	5	*imprudentiæ*
32	1	15	*amplitudo, & utilatem:*
33	1	2	*munificentiam*
34	2	13	*ſententiæ*
36	1	10	Lex.133.
39	2	20	*utilititatem*
42	2	13	*firmamentum*
46	1	10	*ſit*
47	2	11	*iſto*
54	2	12	*factum*
58	2	29	*quod*
56	2	1	*Taurinum*
56	2	3	*interpretationem*

DE DIVERSIS REGVLIS IVRIS ANTIQVI Tit. 17. cum interpretationibus. F. Iammetij Textoris.

Lex prima. Paulus.



Egula est, quæ rem, quæ est, breuiter enarrat: nō ut ex regula ius sumatur: sed ut ex iure, quod est, regula fiat. Per regulā igitur breuis rerū narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quasi caussæ cōiectio: quæ simul cum in aliquo uiciata est, perdit officiū suū.

Interpretatio.



Egibus homines uiuunt cuiq; suum datur, omnia malorum fomenta intereunt, ciuitates cōtinentur. Nam uinculū huius uitæ, quo in rep. optimè constituta, fruimur. Quum sit robur & fundamētum libertatis, fonsq; uiuus æquitatis, animus & consilium, & scientia boni, posita in omni uirtute. Vt corpus cuiusq; sine anima sic respublica sine legibus, ut quoque mundus sine sole & stellis, sic homines sine iuris ciuilis prudentia stare non possunt. Sunt igitur legum interpretes uiri boni, non auari, non fallaces, legum ministri in omni disciplina magistratus doctissimi. Legum denique omnes serui simus, ut liberi esse possimus. Quarum quidem, ut facilior esset institutio, prudēter uisum est Triboniano, quasi in fasciculū huis prudētiæ scitè dicta, breuiterq; enarrata, in unum colligere, quæ non immeritò

uocitātur regulæ iuris, per quas, ea quæ crebri⁹ cōtingunt, enarrarē tur, nō ut inde uires suas sumeret ius nostrū, sed ut ex eo rerū nostrarū, quæ sunt, præcepta daretur. Nā, quemadmodū oēs artes, atq; disciplinæ habent sua principia, suasq; regulas, ita antiquum ius Latinorum noluit nos carere eo, quod esset maxime necessarium. Sed diligenti cura nobis caussas dilucide breuiterq; tradidit. Nam huius uitæ mores ac reip. status diriguntur, cum, breui ac succincta præceptione, uelut rerum nostrarum iniectione, utamur, nisi cum exceptione tollatur nonnunquam, suo munere uacarit.

Lex secunda. Vlpianus.

FOeminæ ab omnibus officiis ciuilibus, uel publicis remotæ sunt. & ideo nec iudices esse possunt, nec magistratus gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec curatores, existere.

Interpretatio.

STatutum est, ut foeminæ, quæ etsi iudicio non careant, tamen ob suos mores fortasse incompositos, & ad id minus potentes publica munera non exerceant. Nam earum ingenium tam uarium, tamq; aut gloriæ aut uindictæ cupidum, ut exercere reip. magistratus nō possint, ubi summa constantia, & animi fortitudine opus est. Quare sint procul non tantum ab iudicijs, sed etiam à consilijs eorum qui curas ciuiles tractāt. Nam sæpe, ut hoc tempore usu uenire solet, earū opinione & fallatia, si non palam, tamen clam iudicia feruntur. Nō minus autem in caussis dicendis, aut officijs publicis nocerent mulieres, quàm inter adolescentes leno aliquis cōmunis pestis ciuitatis. Careant igitur omni munere publico, arceāturq; à rep. perinde atque lupi à præsepibus & agnis.

Paragraphus. Item impubes.

¶ Item impubes omnibus officijs ciuilibus debet abstinere.

Interpretatio.

Impuberem, ait Alciatus, intelligamus eum qui quatuordecim annos non expleuit. Qui constitutione prudentiũ immunitatem à muneribus ciuilibus habet. Nam, etsi tanta hominum esset penuria, ut suis officijs respublica uacaret: non tamen qui ex ephebis non excessit, ad dignitates, officia, & honores admitteretur. Cum in ea ætate sit tanta imbecillitas & cõsilij & rationis. Ineunte enim pueritia huc illucq; non secus quàm arundo agitata uẽto, in omnem partẽ ducitur.

Lex tertia. Vlpianus.

¶ Eius est non uelle, qui potest, & uelle.

Interpretatio.

Quantum ad iura ciuilia attinet, sunt personæ, inter quas serui & impuberes omnes numerantur, quæ uelle & non uelle finguntur non habere. Nam hæ duntaxat, cum sint in aliena potestate, si contrahant, uendant, aut emant, nihil agũt. Sed qui iure suo uiuit, ex testamento legatum accipiat, aut non accipiat, sibi liberum erit.

Lex quarta. Vlpianus.

¶ Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, uel domini.

Interpretatio.

HOc caput quartum, interpretari tertium præcedẽs uidetur, indicans eos qui ex uoluntate sua in contractibus aut negocijs publicis locum nullum habent, quemadmodum est genus seruorum, & qui in patris potestate, ut obsequatur, positus est. Eius enim generis homines, etiam inuiti morem gerere aut domini aut patris legibus coguntur, nisi in admissis atrocibus, qualia sunt, furari, occidere, aut uim inferre. In alijs uero quæ sunt leuiora, ut puta fallere, mentiri, aut concunscribere, in quibus deliquerint, pœnã istorũ remitti declaratur.

Lex quinta. Paulus.

IN *negocijs contrahendis alia caussa habita est furiosorum: alia eorum, qui fari possunt, quamuis actū rei non intelligerent: nam furiosus nullum negociū cōtrahere potest: pupillus omnia tutore authore agere potest.*

Interpretatio.

HAEC *lex distinguit furiosum ab impubere in eo, quod sæpe occurrit, uaria dubia afferens, ut contractuū forma optima cognoscatur, primum furiosus, quum non possit, per dementiam consentire, si conatus fuerit contrahere, nullius momenti erit talis contractus. Impubes uerò, qui loqui potest, licet rerum ipsarū actus parum intelligat, patre suo consentiente, aut tutore authoritatem suā interponente, omnia cōtractuum genera ut in perpetuum ualeant, cōponere uidebitur.*

Lex sexta. Vlpianus.

NOn *uult hæres esse, qui ad alium transferre uoluit hæreditatem.*

Interpretatio.

CVi *legitima hæreditas erat, aut iure successionis, aut testatoris extrema uoluntate concessa, is, ut puta, filiusfamilias, si sponte sua repudiarit hæreditatē, forte quod frater erat substitutus, postea si aliquo pacto illam uindicare uoluerit, repulsam patietur. Nisi minor uiginti quinque annis fuerit, qui benificio summi principis restitui potest.*

Lex septima. Pomponius.

Ius nostrum non patitur eundem in Paganis, & testatò, & intestatò decessisse: earumq; rerum naturaliter inter se pugna est.

Interpretatio.

Qui è militia remissi sunt, ut sub titulo de militari testamento eleganter tractatur, eamq; non exercent: quales sunt, qui domi suæ, aut in agris sui commodi uoluptatisq; gratia (non ut reipublicæ inseruiant) uersantur: quum natura res inter se pugnantes nusquā admittat, testamentū facere & non facere uidentur. Sed tantum alterum fieri necesse est. Militibus uero ob suum priuilegium, quod etiam durat ad annum missionis, pro parte testari, & pro parte non testari, è uita decedentibus concessum est.

Lex octaua. Pomponius.

¶ Iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt.

Interpretatio.

Cum sanguinis iura sint naturalia, non subijciuntur humanis legibus, quibus immutari non dicuntur. Ius enim naturæ & pudor faciunt in contrahendis matrimonijs, ne aliquo iure ciuili, ut manumissione, aut ciuitatis amissione, permittatur patrem filiam suam uxorem ducere, quod est contra naturam. Nisi necessitate cogeretur, quæ uidetur esse naturæ in multis domina.

Lex nona. Vlpianus.

¶ Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

Interpretatio.

Vbi quid, aut obscurum, aut ambiguum apparet, receptū est, quod minus exiguum uideatur, illud esse, de quo actum fuerit. ut puta, legando aliquos seruos, communes continentur. Idem dicas in pecunia, de qua dubium mouebitur.

Lex decima. Paulus.

Lex decima. Paulus.

¶ *Secundum naturam est, commoda cuiusque rei cõsequi eum, quem sequuntur incommoda.*

Interpretatio.

Natura, quam imitatur ius ciuile, quum sit omniũ rerũ mater, ac quæ læsa sint, per eam reficiantur, induantq; meliorem formam, non permittit aliquem in uno iacturam passum, quin in altero non compenset. Facit enim, ut pro sumptibus factis debitæ quantitatis compensatio opponatur.

Lex undecima. Pomponius.

¶ *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.*

Interpretatio.

Non tantum bona nostra, sed etiam iura quæ ad nos pertinent, nisi consentiamus, aut opera nostra factum fuerit, aliorũ fieri non est necesse. quid? nuptiæ consisterent si non conuenirent omnes, quorum interest? Esset ne contractus in filij conuentione, sine patris sui consensu? aut in rerũ domini alienatione, si immunis esset seruus authoritate domini?

Lex duodecima. Paulus.

¶ *In testamẽtis plenius uoluntates testantiũ interpretantur.*

Interpretatio.

Cum testantibus leges magis faueant, q̃ contrahentibus, eorũ uoluntates plenius ac citra aleã dubij si aliquid in testamẽtis occurrat, interpretari debent. Nam in uino legato, etiam si nulla fuit mentio de uasis, uasa uideri legata, nemini sit dubium.

Lex decima tertia. Vlpianus.

¶ Non uidetur cepisse, qui per exceptionem à petitione remouetur.

Interpretatio.

Non uidemur res ipsas amittere, quando eas nostras fuisse dicere nõpossumus. Legata autem in testamento relicta, consulto inducta si appareant. Vt non ualent, sic nec ad nos petinent, quum ea petẽdo exceptione remoueremur.

Lex decima quarta. Pomponius.

¶ In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

Interpretatio.

Quoties dies obligationis in contractu non apponitur, facit stipulanti potestatem petendi pecuniam, aut id de quo stipulatum est, pro animi sui sentẽtia, etiam si uelit præsenti die, qui si adiectus esset pro reo facerent.

Lex decima quinta. Paulus.

¶ Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere uidetur.

Interpretatio.

Illud inter bona nostra numeramus, quoties aduersus eos qui possidẽt, actione recuperamus: aut cũ amiserimus, id legũ beneficio uindicare nobis conceditur. ut puta, si audiuerimus, quod ad nos, cum armis uenirent nonnulli, domos dereliquerimus uacuas. Locus erit, ut eas interdicto unde ui consequamur, quasi ui deiecti.

Lex decimasexta. Paulus.

¶ *Imaginaria uenditio non est precio accedente.*

Interpretatio.

SI *inducamus præsentium animos in uenditionem & nudam & imaginariam (qua rei alienatio non sit) ut tantam fidem faciamus, & repræsentemus, ut credant esse uerum contractum, cum longè aliter sentiamus, & pretium nondum solutum fuerit, pro non facta intelligetur: Sin contra solutione interueniat, reuera ea uenditio non censetur imaginaria, sed perfecta, minimeq; ficta, cum nullum in se fucum recipiat.*

Lex decima septima. Paulus.

CVm tempus in testamento adijcitur, credendum est pro hærede adiectum: nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus additur.

Interpretatio.

DIes à testatore adiectus efficit, legemq; imponit pro hærede, ut ne à quoquam ut puta à legatarijs, (nisi consentiat) in iudicium pertrahatur, ante ipsius diei aduentum si non appareat ipsum aliter in tabulis suis sensisse. Qui enim stipulatur hoc mense aliquid sibi dari, omnibus mensis partibus præteritis rectè petetur.

Lex decima octaua. Pomponius.

QVæ legata mortuis nobis ad hæredem nostrũ trãseunt: eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus: ali-

ter, atque quod stipulati sumus. Nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiam si liberatis nobis potestate domini conditio existat.

Interpretatio.

QVemadmodum post mortem nostram legata, quæ ad nos pertinebant, transeunt ad eos qui nobis succedunt, ita pari ratione ijs, in quorum potestate sumus commoditates legatorum, quæ ad nos deueniunt, ac debētur adquirimus. Nam si dies legati cesserit, & legatarius uitæ suæ dies extremos clauserit, illud ad suos hæredes omnino transfertur. In stipulationibus autem, etiam pendente conditione, dominis aut patribus omnimodo adquiritur. Nec obstat: cum libertatis conditio nondū cesserit. In bonis enim meis aderit quod seruus meus per stipulationes nactus fuerit.

Paragraphus. Si filius.

SI filius sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio: patri actio competit: quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

Interpretatio.

SI ante emancipationem filius fecerit contractum pendente conditione, deinde cum ea aduenerit, patri suo naturali acquisiuisse dicitur. Cum duntaxat id temporis in contractibus spectetur, quo sunt facti, non conditionis exitus.

Lex 19. Vlpianus.

Qui cum alio contrahit, uel est, uel debet esse nō ignarus conditionis eius.

Interpretatio.

Vbi à nobis fiũt cõtractus, eorum conditiones, cum quibus contractum est, oportuit prius cognouisse, ut si quid consequatur incommodi, illud meritò ad nos nos pertinere, nemo ignoret. Nam leges nõ finũt, imperitæ ætatis homines, quales sunt minores aut pupilli, iacturam facere ob infantiæ inconstantiam.

Paragraphus. Hæredi.

¶ Hæredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatarijs contrahat.

Interpretatio.

Hæres (dum ex testatoris uoluntate id præstare tenetur, quod dari uisum est) ignorans cuius sint conditionis, an minores aut pupilli néc ne? sponte sua, ut se è uinculis eximeret fortasse omnia lagata soluit, ideo non sibi imputabitur, quum fideli animo, ac minimè fallaci id fecerit.

Paragraphus. non solet.

¶ Non solet exceptio doli nocere his, quibus uoluntas testatoris non refragatur.

Interpretatio.

Pendente legatorum conditione interim hæres petere potest, nec doli mali exceptione submouendus est, cum possit etiam talis conditio deficere. Nec autem huic petitioni testatoris uoluntas obuiam uenit. Caueat igitur hæres ne postea submoueatur.

Lex uicesima. Vlpianus.

¶ Quoties dubia interpretatio libertatis est: secundũ libertatem respondendum erit.

Interpretatio.

Libertas tanti facienda est, ut cum de ea dubium subortum fuerit, modo satisfactum uoluntati uideatur, quod magis est, ad eam perueniatur. Clarius enim uidendum de uentre cui libertas relicta est, ex quo filius unus natus ad libertatem iussus erat peruenire. Cum plures uno nascantur, omnes liberos fore, certo certius est.

Lex uigesima prima. Vlpianus.

¶ Non debet, cui, quod plus est, licet, quod minus est, non licere.

Interpretatio.

Cui licet, quod est maius eidem debet licere quod est minus: in ea sanè sunt conditione, qui habent castrense peculiũ, ut caussa mortis donare possint, quum etiam eiusdem peculij habeant testamenti factionem.

Lex uigesima secunda. Vlpianus.

¶ In personam seruilem nulla cadit obligatio.

Interpretatio.

Iure ciuili personæ seruiles, aliquo obligationis uinculo obstringi minime possunt. Cum nec quicquam debere, aut illis deberi, dicatur. Modo ad ius ciuile earum obligationem referas. Nam illud no-

mine sui domini fieret, qui aut peteret, aut in eum actio daretur.

Paragraphus. Generaliter.

GEneraliter probandum est, ubicunque in bonæ fidei iudicijs cõfertur in arbitrium domini, uel procuratoris eius conditio, pro boni uiri arbitrio hoc habendum esse.

Interpretatio.

In summa dicendum nobis est. Vbicunq; alicuius conuentio, aut conditio iacebit inter iudicia bonæ fidei, illius sententia erit habenda pro arbitratu uiri boni. Id autem in locationis lege continetur, ut res ipsa iudicio domini comprobetur perinde tamen, ac si arbitrio boni uiri fuisset comprobata. Nam fides bona exigit, ut uiro bono conueniat.

Lex 22. Vlpianus.

¶ Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam. Dolum tantum: depositum, & precarium.

Interpretatio.

IN principio Vlpianus diuidit contractum in duas partes. In altera contractus & dolum & culpam recipit, ut suo loco dicetur. In altera, dolum malum duntaxat, qui in duobus contractibus bonæ fidei deprehenditur. In deposito enim (quod ad custodiendum datur) is non caret dolo, qui non est, diligens ad eum modum, quem hominum consuetudo desiderat, Talemq; illi diligentiam, qualem suis rebus præstitisset, non dedit. In precario autem (quod precibus petenti utendum conceditur) uideamus de eo, qui rem precario nactus est, & postea alienauit. Apponi sibi dolum, dubium non est, quum fecit ut habere desineret. Sed ne te fugiat, ex Pauli sententia sub titulo de rerũ

& uerborum significatione, in capite lex, magna negligentia culpa est magna culpa dolus est.

Paragraphus. Dolum & Culpam.

¶ Dolum & culpam: mandatum, commodatum, uenditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negocia gesta. In his quidem & diligentia, sed & societas & rerum cõmunio & dolum & culpam recipit, sed hæc ita: nisi si quid nominatim conuenit, uel plus, uel minus in singulis contractibus.

Interpretatio.

VT uno uerbo hunc uersum intelligamus, octo primi cõtractus non solum dolum & culpam, sed & diligentiam (de qua satis in prima parte huius capitis) recipiunt. Duo uero postremi societas & rerum communio dolum & culpam. Quare in his decẽ contractibus bonæ fidei hoc in præsentiarum cognoscere sufficiat. In commodato (quod est rei mobilis) ubi utriusque utilitas uersatur, & dolus & culpa præstari debent. Sed si flagitaueris, quid mandatum? quid commodatum? quid uenditum? & quid alij emptũ? recurras ad suos titulos pãdectarum, uel consule eos, qui sunt uocabula interpretati.

Paragraphus. Nam hoc.

¶ Nam hoc seruabitur, quod initio conuenit (legem enim contractui dedit) excepto eo, quod Celsus putat, non ualere, si conuenerit: ne dolus præstetur. Hoc enim bonæ fidei iudicio contrariũ esse, & ita utimur.

Interpretatio.

In his bonæ fidei conuentionibus, id maximè seruandũ, quod à principio fuit appositum, cum legem esse in contractu dicatur. Nisi conuentum fuerit de dolo non præstando, de quo autem nulla pactione fieri potest, ut dolus malus, qui fortasse postea futurus est, ne præstetur. Quoniam repugnaret iudicijs in capite præsenti enumeratis. A quibus bonam fidem abesse, omnino effici non potest.

Paragraphus. animalium.

¶ *Animalium uerò casus, mortesq́;, quæ sine culpa accidunt: fugæ seruorum, qui custodiri non solent: rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur.*

Interpretatio.

Quod positum est, in fortunæ arbitrio, & quodam casu accidit, quum fortuitos casus nemo suis consilijs, & prudentia præuidere possit, eius nomine præstandum erit. Quoniam sine culpa aut dolo malo hominum eueniunt. Fortunæ autem, si ulla esse potest, non homines, sed fortuna hominibus, rebusq́; suis imperat & dominatur.

Lex 24. Paulus.

¶ *Quatenus cuiusque intersit, in facto, non in iure consistit.*

Interpretatio.

Quod res uendita tradita non sit, id, cuius interest, (nam fortasse, emptoris iactura factũ est) non ipso iure, sed pro facti natura sarcietur.

Lex 25. Pomponius.

¶ *Plus cautionis in rem est, quàm in personam.*

Interpretatio.

Præstat cautum esse in rem, quàm in personam. Res enim immobiles non furto, nō armis auferuntur. Personæ autem multis fortunæ casibus sunt obnoxiæ. Non igitur immeritò uisum est, ut hoc consilio & dogmate in rebus suis & tutiores & prudentiores fiant homines.

Lex 26. *Vlpianus.*

Qui potest inuitis alienare: multo magis & ignorātibus, & absentibus potest.

Interpretatio.

Cum tutor res pupilli, quæ seruari diutius non possunt, ut puta, uinum, frumenta, oleum, fructusq; annui, eo etiam inuito, non prohibetur distrahere. Eius igitur præsentia aut scientia in alienatione non est necessaria.

Lex 27. *Paulus.*

¶ *Nec ex prætorio, nec ex solenni iure priuatorum conuentione quidquam immutandū est: quamuis obligationum caussæ pactione possunt immutari, & ipso iure, & per pacti conuenti exceptionem: quia actionum modus, uel lege, uel per prætorem introductus priuatorū pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos conuenit.*

Interpretatio.

IVra prætoris (quæ iniurias, raptus bonorum, furta prohibent, & puniunt, illis enim in furta manifesta, & in uim bonorum raptorũ agimus) Iusque Ciuile (quod prudentes noluerũt, & certum & solemne, quo ad ea quæ non coram sed clàm & occulte fuerunt sublata etiam datur actio) non possunt priuatorum conuentione immutari. Cum semel illis uiribus ob malorum cohertionem deffinitum fuit, necesse est, ut suum finem sortiantur. Aliter autem omnia in peius essent libera. Quamuis ipsum ius, aut pacti exceptio caussas obligationum aliquo pacto infirmari permittant. Nam leges & prætorum ædicta fines & modum actionibus præscripserunt, ne priuati homines suis pactis inuerterent. Nisi tunc incœperint actiones cum inter eos conuentum fuit.

Lex 28. Vlpianus.

¶ Diuus pius rescripsit eos, qui ex liberalitate sua cõueniuntur, in id quod facere possunt, condemnandos.

Interpretatio.

SPonte sua, quod esset liberalis, promiserat, non autem coactus, isque defectus facultatibus, si conueniatur antequam daret, spectabit iudex, ne in id quod sibi difficile, ac præter suas uires esset, sententiam ferat. Cum illi, cui dono datum est, imputari debeat, qui ad solutionem non præcipitauit.

Lex 29. Paulus.

¶ Quod initio uiciosum est, non potest tractu temporis conualescere.

Interpretatio.

Quod semel non ualuit, postea temporis successione alicuius momẽti fieri nullo pacto dicendum est. ut puta, data libertate seruo alie-

no, datio libertatis non confirmabitur aditione hæreditatis, eius qui manu misit. Nam ea à principio iuris authoritate nō ualebat.

Lex 30. *Vlpianus.*

¶ *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.*

Interpretatio.

Matrimonium non perficitur solo concubitu sine consensu, quo etiā, (ut inter consulares personas absentes subsecutum,) nuptias contrahi certum est, legum dispositione. Non enim carnis operatio nuptias facit, sed maritalis animus. Qui igitur inuicem honorem matrimonij habuerunt sola affectione, hi sine ulla dubitatione coniuncti dicuntur.

Lex 31. *Vlpianus.*

¶ *Verum est neque pacta, neque stipulationes factū posse tollere. quod enim impoßibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehēdi, ut utilem actionem, aut factum efficere poßit.*

Interpretatio.

Si quis spondeat sanum esse, inutilem stipulationem uideri placet Vlpiano, *quum impossibile sit quod promittitur, cum quis non est sanus.* Nam *si non est, in ea causa frustra est.* Non *igitur efficit talis stipulatio factum ipsum, nec erit actio utilis, nisi ad id quod interest, quod sanus non est.*

Lex 32. *Vlpianus.*

¶ *Quod attinet ad ius ciuile, serui pro nullis habentur. non tamen, & iure naturali: quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales sunt.*

Interpretatio.

Factum est legum sanctione, ac edictis prætorum ad uincula obligationum, aliarumq; rerum ciuilium seruos esse nullos. Nam ad solemnia non adhibentur, cum quibus communionem non habent. Non tamen ita à natura, apud quam nulla est personarũ acceptio, cum sui munere omnes homines liberi, nascantur. Facultas enim faciendi, cuiq; quod libet data est, nisi quod iura prohibent.

Lex 33. Pomponius.

¶ In eo, quod uel is qui petit, uel is à quo petitur, lucri causa facturus est: durior caussa est petitoris.

Interpretatio.

Melior caussa eius est, cuius nomine, aut in quem agitur, quàm sit eius, qui petit, ut rem suam faciat meliorem. Iura enim possidẽti fauẽt, quæ autem illum tuentur, qui prior ius possessionis apprehenderit.

Lex 34. Vlpianus.

¶ Semper in stipulationibus, & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est, unde si non paret quid actum est: erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo si neque regionis mos appareat, quia uarius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

Interpretatio.

Obseruatur, quod apparet esse factum inter contrahentes, sin minus cognoscatur, loci in quo conuentio uidebitur esse facta, consuetu-

do, quæ illic est omnibus communis maximeq; frequens, obseruari censebitur. Quid? si ob uarietatem regionis nec discerni, nec iudicari possit, de minimo iudicium feratur. In obscuris autem, de quibus ante dixi, quod minimum est, sequimur.

Lex 35. Vlpianus.

¶ Nihil tam naturale est, quàm eo genere quodque dissoluere, quo colligatum est: ideo uerborum obligatio uerbis tollitur: nudi consensus obligatio cõtra ctio consensu dissoluitur.

Interpretatio.

Est secundum naturam, maximeq; hominibus appositum, ut eodem iure solutionis liberentur, quo alieni nominis debitores facti sunt. Vt enim uerborum contractus solis uerbis, aut pereunt, aut soluuntur: ita licet opportunumq; est, contrario consensu tolli, quæ posita fuerũt consensu. Hoc dicendum est, cum abeundum nobis sit ab emptionibus, locationibus, cæterisq; similibus obligationibus.

Lex 36. Pomponius.

¶ Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti.

Interpretatio.

Qui immiscet falcem suam in messem alienam, quam nec seuit, nec coluit ob suam culpam tanquam reus condemnandus est. Cum homines enim hominibus officium præstare debeant, non uero incommodũ. Quemadmodũ puer furto sublatus, & impensis furis creuerit, in adolescentia æstimari debet. Rem enim alienam tanquam suam, sed mala fide, iniquo animo curauerat. Ab eo igitur condici, nemini dubium sit.

Lex 27. Vlpianus.

¶ Nemo, qui cōdemnare potest, absoluere nō potest.

Interpretatio.

In eum sententiam ferre nemo debet, pro quo suū iudiciū foret inutile. Necesse est igitur, qui uolet eo munere fungi, id potestatis impetrasse ab habente. Quod si aliter contingat, nihil fieri censeatur, quàm quod se prodāt ac reos ostendāt, qui talia in posterū conabūtur.

Lex 38. Pomponius.

¶ Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debet: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum peruenisset.

Interpretatio.

In rebus priuatis parentum admissa (si pœnam illis uitam agentibus efflagitassent) ad suos hæredes non descendūt. Quemadmodum post mortem illorum omnia lucra, quæ inde fuissent profecta, ad istos non debent pertinere. Nam legibus uisum est, turpes fructus ab hæredibus extorqueri, quamuis cum authore suo crimina exterminentur.

Lex 39. Pomponius.

¶ In omnib⁹ causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora est, quo minus fiat.

Interpretatio.

Factum esse putatur, quū per alium mora iniecta est, unde secutum sit, ne esset, quod postularetur. Ita dicas de eo, cui uenia data est per diuum Seuerum, cum ob iudicis uiolentiam, libellos appellationis illi non obtulisset. Sed tantum publicè proposuisse postea obtestaretur.

Lex 40. Pomponius.

¶Furiosi, uel eius, cui bonis interdictum sit, nulla uoluntas est.

Interpretatio.

Nullius est momenti, quod à furioso, uel prodigo factum est, si inde suum incommodũ consequatur. Cum uterque legum prudentia sine uoluntate, & per omnia, & in omnibus loco absentis censeatur: Vnde nobis prohibetur, ne quid cum illis contrahamus.

Lex 41. Vlpianus

Non debet actori licere, quod reo nõ permittitur.

Interpretatio.

Cum magis faueant iura reo, quàm actori, rationi consentaneum esse debet, ut huic non concedatur, quod nequaquã illi concessum foret. Et à contrario sensu, si quid ipsi actori permittatur, eodem uti reum ipsum palam est. Contra autem non per omnia nec in omnibus. Quẽadmodũ iudex actoris caussæ, ut rem suam probationibus meliorem faciat, aliquot dies protrahit. Pari modo erga reum ipsum, iudicium exercebit.

Paragraphus. In re obscura.

¶In re obscura melius est fauere repetitioni, quàm aduentitio lucro.

Interpretatio.

Iurisconsultorum cautio est, in pecunia aut in aliјs rebus, quæ in obscuro sunt, ob solutionem indebitè, & animo titubante factam, ut potius condiceretur, quàm qui receperit apud se perpetuò conseruaret, tanquam lucrum aliunde profectum sine caussa legitima, Modo iudici id uerè, idoneisq; probationibus appareat, quod hic est propositum.

Lex ·42. Caius.

¶Qui in alterius locum succedunt, iustam habent caussam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur.

Interpretatio.

Aliquid deberi nomine hæreditatis, hæredes caussam ignorantiæ iustam habent, qua interim simulent, & animaduertant. An dolo malo fiat, quo id quæratur, necne? An sit aliqua iusta caussa propterquã intelligant se facere, aut dare oportere, ut tandem ueritatis uestigiũ appareat.

Paragraphus. Fideiussores.

Fideiussores quoque non minus quàm hæredes, iustam ignorantiam possunt allegare.

Interpretatio.

Eodem modo, ut in hæredibus, tractandum erit de fideiussoribus, qui cum nunquam cognitum habuerint de pecunia, quam is deberet, cuius nomine fideiusserunt, eodem telo sunt protegendi, quo suos aduersarios feriant, si post longam inquisitionem iniquo animo, cum ipsis actum fuisse uideatur.

Paragraphus. Hæc ita.

¶Hæc ita de hærede dicta sunt, si cum eo agitur, nõ etiam si agat. Nam planè qui agit, certus esse debet: cũ sit in potestate eius, quando uelit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

Interpretatio.

Sanè intelligendum est de hæredibus, modo cum ipsis agatur. Nam si agerent, illo beneficio non uterentur. Planè enim erat in eorum po-

testate, antequam experirentur dignoscere. quemodo sese res habe-rent, ob eam caussam diligentia, qua potuerunt meliori, scrutabuntur, antequàm litem incipiant. Nam tunc illis non condonaretur, cum ad agendum processissent, & incertum debitum, sibi deberi cognoscerent.

Lex 43. Caius.

¶ Nemo ex ijs, qui negant se debere, prohibetur etiã alia defensione uti, nisi lex impediat.

Interpretatio.

Etsi, qui negat se debere, habeat diuersas exceptiones, tamen cum silentio iudicij audietur, licet nullum ius in ea re sibi esse uidebitur. Cõtra sentiendum, quando ex lege aliquid impedimenti suborietur, ut puta cum quis de mendacio conuictus erit, posthac nihil illi lex condonabit, sed magis poenam præscribet sui sceleris dignam.

Paragraphus. Quoties.

¶ Quoties concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine: una tantum quis experiri debet.

Interpretatio.

Quando multis actionibus nostram rem persequi nobis liberum erit, facultate legum ad experiendum una tantum concedetur. Per alteram enim altera cõsumeretur. Si quem igitur in iudicium deducas ob actionem mandati, aut societatis, aut negociorum gestorum, consulas, qua breuius, & tibi utilius rem ipsam peragere possis.

Lex 44. Caius.

¶Toties in hæredem damus actionem de eo, quod ad eum peruenit: quoties de dolo defuncti conuenitur, non quoties ex suo.

Interpretatio.

Hoc perpetuum erit, ut in hæredem detur talis actio, de eo solūmodo, quod ad eum peruenisse uidebitur, ex dolo defuncti, cuius hæreditatem adijt. Etiam si immineat debitum ex conditione, quod in occulto erat.

Lex 45. Caius.

Neque pignus, neque depositum, neq; precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest.

Interpretatio.

Quæ his contractibus bonæ fidei ab aliquo seruātur inter bona sua, consistere non possunt, donec desinant suspitione carere, uel in aliam appellationem transierint. Tunc enim suis rebus adiungi sine controuersia, nemini sit dubiū. Nam si fur apud me deposuerit rem furto sublatam, nullum est depositum, ob id compelletur id restituere, quod à me acceperat.

Paragraphus. Priuatorum.

¶Priuatorum conuentio iuri publico non derogat.

Interpretatio.

In re familiari possumus pacisci, ut de furto, de actione iniuriarum, quemadmodum leges permuttunt. Non autem in re publica, ut de imperio prætoris, quo mandabatur, ne quid fieret, quod nouū esset, sine suo, aut populi consensu, eo iure utimur, cum ita distinguitur.

Lex 46. Caius.

¶ *Quod à quoquam pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.*

Interpretatio.

Exigere nemini cōceditur, quod nomine suæ pœnæ alteri soluerat, qui quouis pacto non tenetur ad restitutionem cum debeat accipientis lucro cedere, id enim in sortē non dicitur numerari. Veluti de eo qui pignus furto surripuit.

Lex 47. Vlpianus.

Consilij non fraudulenti nulla obligatio est. Cæterū si dolus & calliditas intercessit: de dolo actio cōpetit.

Interpretatio.

Qui consiliū sine fraude, ac calliditate dedit, ex eo nullam sibi contraxit obligationem. Est enim cuiq; liberū inquirendi, an sibi consilium expediat, ueluti te hortatus sum, ut tua pecunia, quam domi otiosam obseruabas alicui crederes, uel uicinū fundum tibi coemeres. Sin id datum esse maliciosè astutoq; animo apparebit, ut circumscriberet, palam est, in eum de dolo actionem competere.

Paragraphus. Socij.

¶ *Socij mei socius, meus socius non est.*

Interpretatio.

Si consensu societas contrahatur, mihi socius non erit, quem in societatem recipere noluerim, aut de quo nulla fuit mentio Qui ergo? qui admissus est, solus socius dicetur. Non enim socius mihi erit, qui cū meo socio utitur societate, cum me cum nullo modo conuenerit.

Lex 48. Paulus.

¶ Quidquid in calore iracundiæ, uel fit, uel dicitur: non prius ratum est, quàm si perseuerentia apparuerit iudicium animi fuisse. Ideoq; breui reuersa uxor, nec diuortisse uidetur.

Interpretatio.

Nihil est similius insaniæ, quàm ira, aut iracundia, quæ tota est leuitatis. Prouisum est igitur, ne quid, quod factum esset per calorem iracundiæ æstuantem, approbaretur, quo ad illius rei constantiã, aut animi iudiciũ manifestè cognosceremus. Mulier enim si sine mora ad maritum redierit, fecisse diuortium non iudicabitur. Breue enim tempus pro nullo est.

Lex 49. Caius.

¶ Alterius circumuentio alij non præbet actionem.

Interpretatio.

Cum diuinare nemo potest de eo, quem in suis negocijs accipit, an postea sit futurus bonæ fidei, néc ne? Huic incommodo, si quando contingat, cautum est, ne eius circumuentione sibi actio acquiratur, ut puta procurator, ut ageret datus erat, uel omnium rerum administrator, in quibus quid dolo malo fecit. Reuera erit excipiendum, si inde actio consequatur, quam dolus suum autorem habeat.

Lex 50. Vlpianus.

¶ Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.

Interpretatio.

Vbi peccatum est, eius scientia, aut patientia exigitur, qui poterat prohibere, & non prohibuit, uel consilio adiuuit seruum delinquentem,

uel alium sibi suppositum. Filius enim sciente patre si aliquem occiderit, patrem etiam lege aquilia teneri, palam est. Sin uiderat, & nullo modo facere potuit, quo minus coeptum perageret, is omnino culpa caret.

Lex 51. Caius.

¶ Non uidetur quispiam id capere, quod ei necesse est alij restituere.

Interpretatio.

Cepisse non uidetur, quoties apud eum, id quod cepit non est remansurum. Cum capere sui natura, dominium exigebat, atque eo acquisitionis effectus intelligendus sit. Is enim qui hæreditatem alij restituere condemnatus est, eandemq; alteri administrauit, non cepit, ob id nullum incõmodum debet sentire, aut in legatis, aut in testamentis suo nomine factis.

Lex 52. Caius.

¶ Non uidetur defendere, non tantum qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non uult suscipere actionem.

Interpretatio.

Dum quis iudicium accipit, uel suo nomine accipere iubet, cum iudicatũ solui satis dederit, rectè defendere uidetur. Sed si autem coram iudice, uel aduersario nominatim negauerit, aut, cum ipse lateret, actionem repudiauerit, defendere non dicetur.

Lex 53. Paulus.

Cuius per errorem dati repetio est, eius consultò dati donatio est.

Interpretatio.

Quod solutionis caussa per errorem datum est, cum non cōsentiāt, qui errăt etiam si aliquid inde secutum fuerit sine dubio condictione potest repeti. Si uero matura deliberatione, ac de hac re capto consilio soluerit, donasse uidebitur sine rei datæ ulla repetione. Nă addita hæreditate consultò solutis legatis in integrum non restituitur.

Lex 54. Vlpianus.

¶ *Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quàm ipse haberet.*

Interpretatio.

Tradĕdo, ad alium nihil maius, aut minus traducere, uel debemus, uel possumus, quàm quod est apud nos. Tale enim rerum dominium ad accipientem peruenit, quale erat, unde profectum est. Si forte fundus, cui seruitus debetur, traditus est, ea conditione manebit apud eum qui accepit.

Lex 55. Caius

¶ *Semper in dubijs benigniora præferenda sunt.*

Interpretatio.

Vbi quid adest, atque præsens affertur, in quo dubium esse, persuasum est: tunc erit agendum, ut minus dubium sequamur. Qui enim sine malo animo rem aliquam occupauit, eum furem esse, & sane plerunque non credemus. Cum potius sit opinandū suo iure usum: cum absit furti consilium, & fortasse in parte dominus rei fuisset.

Lex 56. Caius.

¶ *Nullus uidetur dolo facere, qui suo iure utitur.*

Interpretatio.

Sententia uera est, eum non esse in dolo malo, qui in rebus suis, iure proprio usus est, modo id fecerit eo animo, ut sibi prodesset, & nemini damnum daret. Cui, consequens est, nullam doli actionem competere. Quando quod donare poterat, aut uendidit, aut cōduxit, inuito quocunq; alio, cum suum esset.

Lex 57. Caius.

¶Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

Interpretatio.

Iniustum, atque maximè impium esset, si quis sibi persuaderet, ac citra fidei æquitatem conaretur, uindicare ob unam eandemq; rem duplicem mercedem, duoq; præmia. Quod imprimis ne syncera republica sanctis legibus confirmata contingat, est cauendum. Nam cum semel suæ rei pretiū consecutus, postea si uellet eandem petere, cum nequaquam id sit audiendū, doli exceptione erit repellendus.

Lex 58. Vlpianus.

¶Ex pœnalibus caußis non solet in patrem de peculio actio dari.

Interpretatio.

Cum filijs liberius uiuendi potestas nulla facta est. Et rem alienā, aut clam, aut ui sine patrum iussu inuito ipsius domino subtraxerunt. Ab ijs condici debet, non autem in patres de peculio actio danda est, nisi ea caussa furtiua facti essent locupletiores. Nam uideretur cōtra leges patres ipsos ex delictis filiorum locupletari, nisi cum illis pœnas darent.

Lex 59. Vlpianus.

Hæredem eiusdem potestatis iurisq; esse, cuius fuit defunctus constat.

Interpretatio.

Quemadmodum defunctus seruos suos hereditarios manumittere, aut in pistrinum ad necem usque dedere, uel suæ hereditati somnia iura alienare, & alia eius generis, poterat: Ita idem iuris hæredi cõcessum est, qui defuncti uice fungatur post additam hæreditatem. Similiterq; est obstrictus in his casibus, in quibus erat testator, ut aduersum hæredem, uel sibi competat actio, per quem persona defuncti repræsentatur.

Lex 60. Vlpianus.

¶Semper qui non prohibet pro se interuenire, mandare creditur. sed & si quis ratum habuerit quod gestum est: obstringitur mandati actione.

Interpretatio.

Pro te præsente uideor in tua caussa patrocinari, si mihi nullum silentium interdicendũ imposueris, te enim mandasse intelligitur. Si uerò in tui absentia rerũ tuarum quippiam per me gestum approbaueris, omnino in te mandati actio dabitur, qui eo nomine fueris obligatus meæ negociationi. Idem iuris erit, si pro te mandato tuo soluerim, quod postea ratum habueris. Nam iure mandati te obligatum habebo.

Lex 61. Vlpianus.

¶Domum suam reficere unicuique licet: dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet.

Interpretatio.

Nemo est, qui non possit suas domos, & ædificia in melius, cum ruinam minantur, aut aliter corruant, componere. Etiam si eius uici-

nus nolit, atque impedire conetur, modo ædificio, in quo ius non habet, nihil detrimenti afferat, quando nulla seruitus (ut puta altius tollendi) impedit, quo minus facultas sit illi ædificandi, aut restaurandi pro animi sui libertate.

Lex 62. Iulianus.

¶ *Hæreditas nihil aliud est, quàm succeßio in uniuersum ius, quod defunctus habuerat.*

Interpretatio.

Bonorum omnium dominium (quod hæres dominus esse dicatur) cũ Alciato appellare possumus hæreditatẽ, quæ omnino alteri succedit, uel ex institutione, uel ab intestato, uel quacunq; alia forma legum sanctione obseruata: ubi omnia iura æquali libertate (nisi uoluntate testatoris quippiam immutatum esse appareat) postmodum exercebit. Quemadmodum defunctus ante mortem iure suo pro animi sui sententia fecerat.

Lex 63. Iulianus.

¶ *Qui sine dolo malo ad iudicium prouocat, non uidetur moram facere.*

Interpretatio.

Id studij, & conatus minimè est improbandum, quo quis sui tantum utilitate inspecta (non tamen ut insidias pararet) tutius ius suum persequeretur ad superiorem iudicem, caussam uoluit deferri. Nihil inde incommodi, quemadmodum usurarum, aut sumptuum, cum nullam moram faciat, patietur. Nemo enim est sibi secũdus, modo sit rationis particeps. In furibus autem non ita, qui perpetuò in rebus restituendis moram faciunt, eas autem non debebant auferre.

Lex 64. Iulianus.

¶ Ea, quæ rarò accidunt, non temere in agendis negocijs computantur.

Interpretatio.

Quæ fortuito casu, & perrarò accidunt, nō solent ferè in albo eorum ascribi, quæ in caussis legalibus uersantur. Nam ad id potius, quod est frequens & minimè ambiguum leges nostræ ius humanum tutantes aptātur. His enim ea sola definiuntur, quæ hominum caussa parata sunt, non autem fortuiti casus, cum de illis nihil certi cōstitui possit.

Lex 65. Iulianus.

¶ Ea est natura cauillationis, quam Græci σόφισμα appellāt: ut ab euidenter ueris per breuißimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.

Interpretatio.

Cum liceat frudem fraude trudere, ac par pari referre, id natura cauillationis, (quæ uocatur σόφισμα, argumentū sophisticū) coparatū est. Vt ab ijs quæ manifestè sunt probalia sententiam nostram tuendo callidè mutatis aut uerbis, aut sententijs aduersariū inducamus ad id, quod est euidenter falsum. Hoc quidem tempore receptissimum est, iustam caussam falsis rationibus tueri, ut falsè aduersariū tractemus, & irrideamus. Cum ex facto ius nascatur, quo mutato, & ipsum uariari necesse est.

Lex 66. Iulianus.

¶ Marcellus notat. desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

Interpretatio.

Nomine debitoris is frustrà cõueniretur, qui aduersus omnes perpetua exceptione colligata, & connexa rationi, tutus esse potest, quoniam in eo amplius uersari, ab æquitate abhorret. Cum noua stipulatione prior inanire soleat. Nam opere nouo (ut moris est) nouũ ius, quo uetus est abrogatũ, sæpe nasci uidetur. Quemadmodũ enim replicatione exceptio tollitur, sic petitioni non legitimæ, nihil aliud deest, quàm ut æqua exceptione tollatur. Quod etiam frequẽtius usu uenire uidemus in bonæ fidei contractibus, qui contrario consensu dissoluuntur.

Lex 67. Iulianus.

¶Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potißimũ accipietur, quæ rei gerendæ aptior est.

Interpretatio.

In sermone ambiguo, si duo sensus dicãtur, utilißimum erit, matura consilij capiẽdi deliberatione, altero uti in rebus nostris gerẽdis, quem tutiorem uidebimus. Nam (ut in stipulationibus) cum partes dissentiunt, nihil perfici potest. Quòd solo consensu omnes iuris ciuilis contractus perficiantur. Contra uero nullum negotium contrahatur.

Lex 68. Paulus.

¶In omnibus caußis id obseruatur, ut ubi personæ conditio locũ facit beneficio: ibi deficiente ea, benificium quoque deficiat. ubi uero genus actionis id desiderat: ibi, ad quemuis persecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij.

Interpretatio.

Id beneficij, quod solis personis, uel à principe, uel iure ciuili accõmodatũ est, ad earum successores non transfertur, sed secum finem facit. Quòd illis solum concessum fuerat, proinde si uirtute illius benefi-

cij actio instituatur, consequens erit, ut auxilio non egeat, eo qui peruenerit. Id locum habet in eo qui negocia gessit pro tutore. Nam æquissimũ erit ob pupilli priuilegiũ eum præferri cæteris creditoribus. Milites etiam eatenus quatenus facere possunt coguntur soluere. Quod eorum nepotes tempore sui beneficij finito non habebunt.

Lex 69. Paulus.

¶ Inuito beneficium non datur.

Interpretatio.

Dicendum est, de eo qui manibus pedibusq; obnixè stetit, ne sibi cõcederetur quicquam auxilij, quo se & suos & quos charos habeat tueretur, eodem uti nõ posse. Quod autem pro pupillo introductũ est, ipse potest cõtemnere, nec post pœnitentiam habebit utilem actiouem, ut rem suam beneficio neglecto persequatur.

Lex 70. Vlpianus.

¶ Nemo potest gladij potestatem sibi datam, uel cuiusuis alterius coërcitionis, ad alium transferre.

Interpretatio.

Quid magnũ hoc caput pollicetur, cuius summa hæc est. Nemini qui ius habet gladij sibi datũ ab altero (ueluti à principe) ad animaduertendũ in facinorosos homines, licere in suũ locum uicariũ substituere, ac illi, suas partes mandare. Quibus in perpetuũ fungatur uitam pro pœna reorũ adimendo, seruitutem iniungendo, ciuitatem auferẽdo, aut quid huius generis exercendo. Cum id potestatis à superiori, uel à rege, uel à principe deuolutum fuerit.

Lex 71. Iabolenus.

¶ Fructus rei est, uel pignori dare licere.

Interpretatio.

Pignori dare suas res, ueluti, uestes, libros, animalia nobis domesti ca, aliaq; eius generis, cum semel licuit, ignorare non possumus, id utilitatis quod ex pignore irrepserit loco fructuũ haberi. Hoc enim solet fieri inter cõtrahentes solo cõsensu, etiam sine scriptura. Modo aliter probatu sit facile rem obligatam esse, de qua conuentnm est.

Lex 72. Vlpianus.

¶Omnia, quæcũque caussæ cognitionem desiderãt, per libellum expediri non possunt.

Interpretatio.

In libello & scriptura, seu formula, quæ reo datur sine solemni uerborũ intẽtione, nõ est necesse, nec fieri potest, ipsius rei aut caussæ integrum factũ proponi. Satis erit eum certitudinem quandã recepisse ad quam, ueluti ad scopum omnes suas rationes pro caussæ cõditione dirigat. Nam si aliter fieret, nouis ijsq; incertis cõiecturis, id negocij pertentaret, non secus quàm si apros sectaretur sine uestigiorum ulla cognitione, & scientia.

Lex 73. Vlpianus.

¶Quintus Mutius Sempronio. Quo tutela redit, eò & hæreditas peruenit, nisi cum fœminæ hæredes intercedunt.

Interpretatio.

Ne graue multum, & fortasse molestũ onus tutelæ hominibus contingeret. Spem quæstus proponi legum sanctione uisum fuit. Vt qui id laboris, & incommodi sibi imponeret, eum succedendi sequeretur emolumentum. Leges enim id pollicendo uana expectatione neminem lactari permiserunt. Mulieres tamen à tutelis (si matrem cum auia exemeris) ob sexus inaptitudinem propulsantur.

Paragraphus. Nemo.

Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei, quem in ſuis hæredib⁹, cum moritur, habuit, habiturúsue eßet, ſi uixiſſet.

Interpretatio.

Cum quadam prouidentia, tutores dari, conſtitutum fuerit. Ne pupilli & bona, & iura ſucceſsionis, quæ ſibi legitimè obuenerant, dilapidarent. Non igitur temere ſed maturo conſilio, & certa quadam ratione tutores eligantur, qui omniũ rationem ſint reddituri. Quare diligenter parentes aduertant, ne quos charos habent, eo nomine fallãt. Cunq; duntaxat tutores dare poſſint, quos tempore ſuæ mortis, uel ſi adhuc uiuerent, inter proprios hæredes numerarent.

Paragraphus. Vi factum.

¶ Vi factnm id uidetur eſſe, qua de re quis, cum prohiberetur, fecit.

Interpretatio.

In ea conditione uerſatur, id quod ui, & iniuria fieri uidetur, ut is, qui in aliquo ita fuerit pertinax, & contra denunciationem noui operis perſeuerauerit, ultra quam prohiberetur, fecerit, ui, Caſsij ſententia, feciſſe dicemus, eóq; iure utendum nobis eſt.

Paragraphus. Vi factum.

¶ Clàm quodquiſque, cum controuerſiam haberet, habiturúmue ſe putaret, fecit.

Interpretatio.

In opere nouo non fecit certiorem aduerſarium, aut loci illius uicinũ, cuius intererat, id non occulte fieri. Cum animo perpenderet, poſt denunciationem litem futurã in ſui perniciem, quo minus inſtitutum non perficeret. Id eſſe factum clàm, cuiq; iuriſperito exiſtimandũ eſt. Prohibuiſſet enim ſine ulla mora, cum opus nouum denunciatũ fuiſſet. Ob eam cauſſam clàm uoluit facere, ne id inchoatum cognoſceret.

Paragraphus, quæ in testamento.

¶ Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi nõ poßint: proinde sunt, ac si scripta non essent.

Interpretatio.

Quemadmodũ id quod est in testamẽto scriptũ præter domini uoluntatem pro nihilo habetur. Ita si in eo quidquam consultò sit inductum, ut intelligi, legiq; non possit. Perinde erit, atque, si ab illo nihil fuerit in testamento scriptum aut definitum.

Paragraphus. Nec paciscendo.

¶ Nec paciscendo, ne legem dicendo, nec stipulando, quisquam alteri cauere potest.

Interpretatio.

Aliquo pacto, lege proposita, uel stipulatione cauendo, alteri acquire nõ licet. Ob id enim potißimũ stipulationes inuẽtæ sunt, ut unusquisque sibi acquirat, quod sua interest. Quod si alij fiat, pro nihilo erit, nisi subiectus fuerit illi, aliter enim nihil ageret.

Lex 74. Pomponius.

¶ Non debet alteri per alterũ iniqua cõditio inferri.

Interpretatio.

Factum unius alteri damnum parere nõ debet. Cum (nisi fuissent eiusdem sceleris participes) non æquum uideretur aliquo incommodo laborare, iniusta, malaq; alterius conditione, qua damnandus cẽsetur. Quid? alter non conscius, indemnis, quantum intelligo, absoluetur. Iura enim non minus uni, quàm alteri succurrere oportet.

Lex 75. Pomponius.

¶ Nemo potest mutare consilium suũ in alterius iniuriam.

Interpretatio.

Quod semel matura deliberatione apud te uisum fuit, ut idipsum tuo nomine fieret, ac in tui utilitatẽ uerteretur. Postea, ut inde damna

referam,tuum consiliũ reprobare atque inuertere uoluisti. Ea tua in constantia & leuitate,ne ignores,mihi non incommodabis. Sed magis in tui iacturam,qui fueris abusus mea opera,recurret, non secus quàm si tela à quibus missa sunt,quasi reciproca,illuc redeant.

Lex 76. Pomponius.

¶ In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt,nõ nisi uera & certa scientia perfici possunt.

Interpretatio.

Specie cuiuspiam obiecta,quod bonũ uisum sit, ut id amplectamur, ipsa natura nos impellit. Sed si constanter prudenterq; fiat id, quod Græci βούλησιν,nos uoluntatem appellabimus. Illi in solum sapiẽtem cadere putant,qui duntaxat cum ratione desiderat. Si uero aduersus rationem, uehementius quispiam insurgat, libidinem uocitare licebit. Vbi crimen nascitur,quũ apparet uoluntatem ad noscendum sibi persuasum fuisse.

Lex 77. Pomponius.

¶ Actus legitimi,qui non recipiunt diem uel conditionem: ueluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio,serui optio,datio tutoris:in totum uiciantur per temporis,uel conditionis adiectionem, nonnunquam tamen actus supra scripti tacitè recipiunt,quæ apertè compræhensa uicium adferunt. nam si acceptum feratur ei,qui sub conditione promisit:ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur,si obligationis conditio extiterit, quod, si uerbis nominatim acceptila-

tionis comprehendatur: nullius momenti faciet actũ.

Interpretatio.

Non conuenit legibus nostris, hos contractus legitimos (ab alijs dicuntur ciuiles) qui non multum à natura, neque in totum à iure gentium discedunt, aut temporales aut conditionales esse. A quo quidem omnino emancipatio, serui optio, hæreditatis aditio abhorrent. Nam qui uellet post bienniũ hæreditatem adire, uel si ea sit soluendo. Quærenti diceretur, nullam esse aditionem, eo pacto enim in totum uiciatur, fitq; huiusmodi, ut pro nihilo habeatur. Sed acceptilatio, tutorisq; datio si uerbis patentibus, & apertis illa duo non referant, id est, tempus, & conditionem, tamen latenter & occultè nonnunquam includere sine ullo uitio possunt. Quod si non esset, nihil commoditatis afferrent. De accepto lato in capite salis liquet. De tutoris datione, accipe & serua tutoris authoritatem non conditione, sed purè interponi, ueluti, pupillo (si uelit sibi dari) uolumus tutorem suarum rerum authorem fieri Publium Menium. Id non ualet, quo iure utimur.

Lex 78. *Pomponius.*

¶ *Generaliter cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per aduersarium habere nõ potuit, considerandum est.*

Interpretatio.

Quoties de fraude experitur suo munere (bene rõne utẽdo) animus iudicis fūgatur. Nã suũ nõ esset, ut nũnquã pturbaretur, quod est cõtra officium: sed ut cũ sit auxilium societatis humanæ, alterius iniuria

cadenti & oppresso remediũ afferat, quicquid bonorum habuisset seruando. Nam hac actione utrunque debet restitui, nõ solum fructus, qui iam percepti sunt, sed etiam qui percipi potuerunt à fraudatore.

Lex 79. Pomponius.

¶Fraudis interpretatio semper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

Interpretatio.

Veros sapientiæ amatores iurisperiti semper imitari desiderauerunt. Qui duntaxat hominũ dolos, & calliditates non ab ijs, quæ fortuna quadam aduersa contigerant, sed à dolo, certaq; scientia ipsorũ, metiebantur. Cum enim id remittebant, quod quidẽ fraudis casum habuerit, nisi caussa fallendi, factum uideretur.

Lex 80. Pomponius.

¶In toto iure generi per speciem derogatur: & illud potißimum habetur, quod ad speciem directum est.

Interpretatio.

Cum genus plures partes amplectatur, suaq; pars sibi subsit, hæc ideo diligentius paucitate inducit, ut, aperte prætermisso generali ad se recurramus. Hoc igitur nobis uitandũ, ne genus ponamus aut imitemur, cum in sua parte sit nobis immorandum, illiq; adhærere debeamus. Si profectò quis ancillas legaret, seruos esse exclusos intelligas. Sed contra pueris legatis puellas contineri non dubitabis.

Lex 81. Pomponius.

¶Quæ dubitationis tollendæ caussa cõtractibus inseruntur, ius commune non lædunt.

Interpretatio.

Conuentionum cõturbationes, & ambigua tollere, non tam est operam dare priuatis hominũ cõmodis, quàm societatis humanæ saluticõsulere, unde enim quotidie (ut moris est) & cõtrouersiæ & iurgia multa suboriuntur. Est igitur magnopere desiderandũ, ut omnia iure superent, & ad ciuilem cõmunitatem coniuncti, & consociati simus, liberumq; cuiq; sit ad utilitatem suam sine iniuria facultates, & iura tutari, ciuili auxilio intercedente.

Lex 82. Pomponius.

¶Donari uidetur, quod nullo cogente iure conceditur.

Interpretatio.

Quando donamus (ut est in nostra potestate) eo animo, eaq; mente, ut sine ulla mora perueniat in manus, dominiumq; eius qui accipit, ad nos redire non uideatur Et nihil fructus utilitatisq; inde consequi uisum fuerit propter liberalitatem, qua nihil est hominis naturæ ornatius, id iure concessum, donationemq; ueram esse dicendum est. Licet non reddere, uirum bonum non deceat.

Lex 83. Pomponius

Non uidetur, rem amittere, cuius propria non fuit.

Interpretatio.

In bonis non fuit, nec abesse dicitur, quod non occupasti iure belli, aut lege, pactione, conditione, sorte, quemadmodũ illud est quod nec tibi contigit, nec seruare potuisti. Legatam enim uiam fundo tuo, qua non es usus per constitutũ tempus amittendæ seruitutis, ad te nõ pertinere, nemo nescit.

Lex 84. Paulus.

¶Cum amplius solutum est, quàm debebatur: cuius pars nõ inuenitur, quæ repeti possit, totum esse inde-

bitum intelligitur, manente pristina obligatione.

Interpretatio.

Si plus solutum, quàm constiterit esse debitum. Et ea pars soluta nõ apparet, ut repetatur. Dicetur indebitũ fuisse quicquid solutum est eo nomine. Sed prima obligatio nullo modo infrĩgetur. Nihil enim factũ est, quo soluta uideatur. Quemadmodrm nobis dicẽdum est, in eo quĩ, cum triginta deberet, quasi quinquaginta debens equum tanti soluerit, congruit, ut equus repetatur. Sed triginta in stipulatione prima manebunt. Licet ea res pro pecunia soluta pariebat solutionem. Tamen de condictione indebiti lex si non sortem, dici potest equum manere apud eum, qui stipulatus fuerat pecuniã, donec soluatur, quod uerè debebatur.

Paragraphus. Is natura.

¶ *Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus.*

Interpretatio.

Existunt, uera huius loci interpretatione duo uincula, quibus obligamur. Vnũ à natura, in quod incurrit, qui uoluit pro se fieri, id quod sola fide (in ea enim cum ueritate nostri contractus consistunt) conuentũ est, scilicet ad uerè, iusteq; faciendũ. Alterũ est uinculũ quod iurisperiti in iuris gentiũ obligationes iustas atq; constantes conferunt, easq; utiles. Quibus uinculis solutis necesse est id quod promissum fuit, non deberi. Quod iure laudabitur.

Lex 85. Paulus.

In ambiguis, pro dotibus respondere melius est.

Interpretatio.

Magis ad rem, q̃ ad uerba intuendũ est. Vbi igitur nuptiæ secutæ fuerũt, quod à patre sine ulla adhibita affirmatione, ut formula re-

spondendi non appareat, pro dote promissum est. Huius rei ordine seruato, cum patris uoluntate, dicendũ in uotis habuisse nuptiarũ dotem de suis bonis solum constitutam fuisse. Etiam si, nisi instrumentũ mutarit, id non fuerit apertè expressum. Nam in ambiguis quantum fieri potest, quod proximè accedit ad id, de quo quæsitũ est, exequi oportet, ut de paternis bonis constituta dos desumatur.

Paragraphus. Non est.

¶ Non est nouum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent: licet ille casus extiterit, à quo initiũ capere non potuerunt.

Interpretatio.

Opus illud (res est nõ mira, mihi quidẽ ita sumo) ad rei perfectionẽ deductum, illuc rerũ peruenit, ut sibi deesse aliquando nõ possit. Nemo igitur in indicio, aut audacia, aut aliqua dicẽdi facultate, id euertere, cum semel ualuit, sibi persuadeat. Quoniam honestè id fieri nullo modo poterit, ut putà filij adoptiui uxorẽ post emãcipationem ducere, patri quidem minimè concessum est. Sibi enim nurus fuit.

Paragraphus. Quoties.

¶ Quoties æquitatẽ desiderij naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur: iustis decretis res tẽperãda est.

Interpretatio.

Nec sanè in omnibus, nobis uindicãdũ est, cum licet. Nam maximè in iure æquitas spectanda est, & ad bonũ & æquũ iuris quæstiones, ne periculosè erretur, referri debent. Quid enim improbius fieri potest, q̃ discedere à summa æquitate, & adeò inhærere superstitiosè legũ literis, quũ uidendũ fuerit, quid senserit is, qui scripserit? Quare nec callidè, nec malitiosè iuris interpretatione utendũ. In quo sæpe peccatur. ut ille qui quũ centũ triginta dierũ essent, cũ hoste pactæ induciæ noctu populabatur agros, quod dierũ essent pactæ, nõ noctiũ induciæ.

Lex 86. Paulus.

¶ *Non solet deterior conditio fieri eorum, qui litem cõtestati sunt, quàm si nõ essent: sed plerunq; melior.*

Interpretatio.

Non parua uis naturæ litis inchoatæ apud iudices, qua longè causſæ futuræ cursum uidemus. Conciliat enim illi ad multos annos liberam agendi facultatẽ, ingeneratq; præcipuũ quendã accessum in eũ, qui litem nobiscum suscepit, impellitq; ut is uel uictus succumbat, uel prior sententiam iudicis è manibus nostris occupet. Id etiam beneficij suppeditat, ut nostris præsentibus negocijs controuersiam futuram adiungamus. Cuius muneris sint nostri hæredes aliquando, si uelint, participes. Quod maximè in rep. & necessarium & utile uisum fuit.

Lex 87. Paulus.

¶ *Nemo enim in persequendo deteriorem causſam, sed meliorem facit. Denique post litis contestationẽ hæredi quoq; prospicitur, & hæres tenetur ex omnibus causſis.*

Interpretatio.

Pulchrum lucrum est, quòd (dij tamen auertant, ne infeliciter cadant) meliores causſas facimus. Quando in iudicio, lite incœpta, sine ullo temporis discrimine, ius quod nobis debetur, sequimur. Ea tamen lege atq; omnie, ut non minus emolumenti nostri hæredes, quàm nos, sint relaturi: quoniã in uniuersum ius succedunt. Non immeritò igitur illis cõceditur, ut tali iure sese exerceant, quo & nos, si uiueremus post litem inchoatam.

Lex 88. Scæuola.

¶ *Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.*

Interpretatio.

Quum petitiones exceptionibus tolluntur, nemo est, qui tarditatem solutionis audeat accusare. Nam eo casu aliter fieri nullo pacto inuentum est. Sed legum prouidētia illis consultum sit, qui consilio & ratione non ualent, ut se tueātur ab hominum calumnia & fraude. Hoc quidem tempore, nihil sanctum, ac fide dignum in republica. Quare si sic fideiusserit aliquis pro pupillo, & ille in mora fuerit, ideo fideiussori illa in damno non erit. Vbi enim nulla petitio, eo seruo mortuo, quem pupillus promiserat.

Lex 89. Paulus.

¶ *Quandiu possit ualere testamentum, tandiu legitimus non admittitur.*

Interpretatio.

Quoties ex testamento adire hæreditatem possumus, fieri non potest, ut nobis ab intestato deferatur. Etiam si, qui proximus est, uellet ad eam admitti, non audiretur. Nam in priuatis rebus firmissimū est testamentum. Quod, nisi fiat irritum, ut sæpe euenit, nullius diligentia, fauor, gratia, quamuis maxima fuerit, immutabit, quo minus, qui uocatus ad iura hæreditatis, ea teneat, ac tanquam dominus exerceat, & utatur.

Lex 90. Paulus.

¶ *In omnibus quidem, maximè tamen in iure, æquitas spectāda sit.*

Interpretatio.

Iurisperiti scientiam æquitatis, & iustitiæ, licita ab illicitis separantes, profitentur. Nam sibi quasi materia, quam tractent, & in qua uersentur, subiecta est æquitas, per quam societas hominm cōiunctioq; seruetur. Reliquis autem artibus, & disciplinis simplici nomine æqui

natura dari solet. Sed in illis latissimè patet. Quoniam omnia & uitæ & societatis humanæ ab illa tanquam à summo Ioue pendent, cũ etiam in studijs, & honestis, & legitimis sua opera nos ita cõtineat, ut à rebus gerendis abduci non possimus. Sed æquitate duce ad id quod honestum est & bonũ ducimur. Ea igitur iuris ciuilis naturam attingit, qua honestum & decus conseruentur.

Lex 91. Paulus.

¶ Quoties duplici iure defertur alicui successio: repudiato nouo iure, qđ ante defertur, supererit uetus.

Interpretatio.

Adeundæ hæreditatis duo iura inter se colligata, & coniũcta nobis occurrunt. Vnum, lege ueteri & prima, qua ab intestato omnes legitimi ad hæreditatem, quasi à natura admittantur. Alterum, honoraria & noua, qua etiã per testatoris uolũtatem nobis hæreditatis ius uniuersum defertur. Quorũ altero repudiato necesse erit alterum integrè acquiri, si uelimus, nos pro hæredibus gerere. Qui enim & legitime natus, & scriptus ĩ tabulis hæres, si elegerit, ut admittatur, quasi legitimus, ex testamento eam repudiasse credendum est. Idem contra ut in hoc capite definitur.

Lex 92. Scæuola.

¶ Si librarius in transscribendis stipulationis uerbis errasset: nihil nocere, quo minus & reus & fideiussor teneatur.

Interpretatio.

Etiam si in formula præpostere uerba contrahentium (qualia sunt spondes? spondeo. promittis? promitto) scribẽdo transferat librarius.

Nihil obstat cum hoc quidem tempore sufficiat sensum congruentem sine uerborum solemnitate desiderare, quo minus intelligantur obligati qui quouis modo contraxerunt. Quod longè aliter se habet, quàm hominum opinio fit. Eos enim leges affirmant contraxisse, quorum animus nec sibi nec cæteris perniciosus esse potest, ordine etiam inuicem non seruato. Modo id quod scriptum est, careat suspitione, nec de eo fuerit consulendum.

Lex 93. Mætianus.

¶ Filiusfamilias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris uidetur.

Interpretatio.

Nullum locum retinendi, petendi, adeundi possessionem rerum peculiarium, filijsfamilias iura permiserunt. Id enim in eorum parentes, ut studio, consilio, diligẽtia disponerent, quandiu in sua potestate permanere uisum erit, contulerũt. Per ætatem autẽ se & sua tueri & seruare nunquam possent, quin uel sua insolentia, libidineq; intemperata dilapidarent, uel multorum calumnia opprimerentur. Deinde ut illis consultũ esset à parẽtibus nõ solũ à pueritia, suorũ curã seruãdi bona peculiaria susciperent, sed ut solent, studio, & amore paterno, multò q̃ante, augerẽt. Sic igitur statutum est, ut statim rerũ suarũ dominiũ transferant, cũ quod acquisierunt, momento sustineri non uideretur.

Lex 94. Vlpianus.

¶ Non solent, quæ abundant, uiciare scripturas.

Interpretatio.

Scripturas instrumẽtorum, uel libellos quorũcũq; cõtractũ, superflua, aut quæ ociosa uidebuntur, si non prosint, non tamen inutiles facient. Id enim communi omnium sententia improbari non dicitur,

quando errorem, calumniam, dolum nō inducit. Nam copia uerborum non necessaria, quod factū est, non peruertit. Quemadmodum, si quis dicat, do, lego omnes uillas meas, quas ī Italia possideo Tusculanā & Academicā. Detracto enim uerbo Tusculanam & Academicam. Nihilominus etiam hæ duæ debebuntur, nisi uideatur dantis, & legantis alia uoluntas.

Lex 95. Vlpianus.

¶ Nemo dubitat, soluendo uideri eum qui defenditur.

Interpretatio.

Non est dubitandū eum, qui iā iudiciū suscepit, habetq; defensorē, quin non sit soluendo, ac suis creditoribus in solidum possit satisfacere. Hoc igitur in hoc capite attendendū, an de eo agatur, sitq; in iudicio, qui eum defendat. Cum is loco fideiussoris uideri dicatur, quoniā & iudicatū solui, & creditores non recusare, ut ab eo exigant suam pecuniam, compelleretur. Quod, ut puto, intelligendū, si is qui defendit idoneus uideatur, ac eius fides explorata fuerit. Nā si esset suspectus tanquam non soluendo in iudicio staret.

Lex 96. Mætianus.

¶ In ambiguis orationibus maximè sententia spectāda eius, qui eas protulisset.

Interpretatio.

In testamentis, iudicijs, legibus, alijsq; eius generis, quod dubiū & anceps uidebitur, quo ad fieri poterit iudiciū eò tēdat & reducatur. Vt eius, qui est locutus, aut interpretetur aut proferatur uolūtas. Nō autem ab eo quod uerborū structura dicitur discedendū, cum omnibus liquet, id in scriptura contineri. Vt puta lana legata omnem lanam cōtineri, modo non peruenerit ad telam.

Lex 97. Hermogenianus.

¶ Ea sola deportationis sentētia aufert, siuæ ad fiscū perueniunt.

Interpretatio.

Datus exilio perpetuo, quo nihil infelicius, nihil miserius, nihil calamitosius excogitari potest, nec bonorū, nec nominis hæredes habebit. Dicet aliquis: ad quem igitur hæc pertinebūt illi mehercule respondēdum, suæ contumeliæ caussa, aut principi, aut ærario publico cedere, à quo nemo suorū uindicabit: ut grauiorem sustinere pœnā uideatur, nisi à principe, per quem, lex damnatorū constituta est, sua clemētia, suaq; liberalitate, eius hæredes in bonis manere permiserit. Hoc autē fit, ut omne malorum super alium opprimatur. Cum oporteat iustitiæ æquitatem in principe tanquam in speculo intueri.

Lex 98. Hermogenianus.

¶ Quoties in utriusque caussa lucri ratio uertitur is præferendus est, cuius in lucro caussa tempore præcedit.

Interpretatio.

Si duo de eadem re iudicio aduersus aliquem contendant, eorū cōtrouersia dirimenda uenit meliore temporis cōditione, in qua alter cōsistit, qui prior ad iudicis sententiā peruenit. Id profectò in eo uerum censetur, potiorem esse caussam occupantis. Nam nulla ratio habetur prioris sentētiæ in posteriore iudicio, ut posterior sit in eo, quod prior petiuit & obtinuit. De quo amplius non disputabit, sua enim obstinatione priorem sententiā uel decretū non repudiabit, quin iure suo integra permanserit. Ad renouandā igitur litem non contendat. Sed uictus fortasse tarditate, inertia, negligentia sua iaceat.

Lex 99. Venuleius.

¶ Non potest improbus uideri, qui ignorat, quantum soluere debeat.

Interpretatio.

Nemo improbè suis partibus fungitur, ac in dolo esse uidetur, quādo iusta ignorantia solutionis quantitatem non nouit. Propter quam moram fecisse non dicetur. Vtique soluendi caussam uidit nullam. De qua optimis rationibus iudiciū susceptū refellit, ne alteri indebitè, & præter æquū cedat. Cum enim debitū ignoratur, pœna nullam uim habebit.

Lex 100. *Caius.*

¶ *Omnia, quæ iure cōtrahūtur, cōtrario iure pereūt.*

Interpretatio.

Qui nodū arte tractauit, maximè secundū naturā locus relinquetur, ut eadem, (dicam ut res est) qua intorsit, texuit, & colligauit, soluat. Veluti sæpissimè usu uenit in bonæ fidei iudicijs, quorū obligationes & uincula, solui dicuntur, cum actū est inter cōtrahentes nouo & cōtrario negocio, quod pertinet ad resolutionem. Ideo cum uerborū obligationem contraximus, eandem uerbis tolli necesse est. Si uero consensu eo genere dissoluitur, quo confecta esse uidebitur.

Lex 101. *Paulus.*

¶ *Vbi lex duorum mensium fecit mētionem, & qui sexagesimo & primo die uenerit, audiēdus est, ita enim imperator Antoninus cū diuo fratre rescripsit.*

Interpretatio.

Quoties tempora incurrūt, aut legibus, aut edictis certa & definita, cum ea digna homine legali, neq; diminuūtur, neq; fiūt, aliter cōtraria, quā summi imperatores decreuerūt. Iniustū nō erit, nec fiet cōtra officiū, si duntaxat intra eorū fines, quod illi iubēt, seruetur. Obijci nō decet ad ea. Primū temporis libertas extrema nō amissa. Deinde nihil consecutū fuit, quod moram fecisse dicatur. Nam tantū temporis

liberũ habuerunt,quantũ fuerat productũ.Nec igitur quicquam destituisse uidentur,propter quod non admittantur in iudicium.

Lex 102. Vlpianus.

¶Qui uetante prætore fecit, hic aduersus edictum fecisse propriè dicitur.

Interpretatio.

Plerique,& prætorum edicta,& reip.suæ cõsuetudines,usq; adeo negligũt,ut si eorũ opera contrariũ fiat,sibi persuadeãt,se impune euasuros.Quando illis honestius fuisset,si morem gessissent,ueluti cõmeatu ac libertate in ius uocãdi parẽtes & magistratus facta,quibus iniuriam inferre conantur,cum honorem & obsequiũ debeãt. Ob id tales, quãdo experiũtur uenia nõ petita,sed stulta arrogãtia,cognoscãt sese obnoxios,uiolasseq; sanctũ nomen parentum.Hæc igitur latissimè patens iniuria,& castiganda & uituperanda censeatur.

Paragraphus.Eius.

¶Eius est actionem denegare, qui possit & dare.

Interpretatio.

Hic nobis cogitandũ amplius non erit, de authoritate, & potentia summorũ principum,quum citra suspitionem(de quibus in hoc capite facta est mentio)dicamus fine suæ dignitatis imminutione,tantũ iuris & potestatis habere,quantũ ad suarũ ciuitatũ, & populorũ iura deferenda remittendaq; sufficiat.Id aliter uel pro tribunali,ex æquo loco disputando eius rei inquirendæ caussa magnopère offenderemus. Nemo igitur suos fines prætergrediatur.

Lex 103. Paulus.

¶ Nemo de domo sua extrahi debet.

Interpretatio.

Nemo nisi grauissimè deliquerit ui & uioletia de domo sua, in qua est, perinde ac rex in suo regno, extrahi permittatur. Quid est sanctius, quid religione munitius, quàm domus cuiusque ciuiũ? Quoniã in ea sunt aræ, in ea foci, in ea dij penates cõtinentur. Huc perfugiũ atq; receptaculum est ita sanctum cuique, ut inde abripi neminem, fas est. Talis igitur res est, ut ea & custodiamur, & defendamur indemnes, non aliter, ac sacræ religionis claustris, ubi sanctissimæ cerimoniæ cõtinentur.

Lex 104. Vlpianus.

¶ Si in duabus actionibus alibi summa maior, alibi infamia est: præponẽda est caussa æstimationis, ubi autem æquiparantur famosa iudicia: & si summã disparem habeant: pro paribus accipienda sunt.

Interpretatio.

Duo imprimis in hoc capite spectari oportet. Primum, de quo sic dicam, cum iudiciũ de pecunijs maioribus ob uenditionem cõstitutũ erit, & minoribus ex infamiæ caussæ, solutis maioribus, nulla caussæ mentione facta. Aequũ erit solutum uideri, quod ex contractu uenditionis debebatur. Alterum hac forma, quod habet plurimũ utilitatis. Quando ob duo crimina, quæ inter se æquiparantur, debitum dispar præscriptũ erit, atque interim alterum soluitur. Aequaliter ad utrunque quod solutum est, proficit, non tamen pro rata, cum sint debita disparia. Quare id quod sceleris pœnam liberat solutum uideatur.

Lex 105. Paulus.

¶ Vbicunque caussæ cognitio est, ibi prætor desideratur.

Interpretatio.

Sæpenumero id inter homines euenire solet, ut necesse habeat, magistratus inquirendo caussam ipsam cognoscere, in eo loco, in quo res possessa est. Illuc igitur ex officio tenetur prætor, uel sese conferre, uel aliquem suo nonine mittere, ut possit re uisa & cognita fidelius, aut ipsos cōtractus renouare, uel legis cōditiones longius proferre. Aliter enim multa incōmoda ob negligentiam prætoris renascerētur, qui non fungens suo officio tantopere, ut lites dirimat, desideratur.

Lex 106. Paulus.

¶ *Libertas inæstimabilis res est.*

Interpretatio.

πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι. *Dictum est uirorū eruditorum, nisi sapiētem liberū esse neminem, cum libertas sit potestas uiuendi, ut uelimus, si recta sequamur qui nostris officijs gaudeamus legibus parētes non propter metum, sed quia maximè salubrè iudicamus. Nam liberè, & libenter omnes res, & consilia gerimus uoluntate, iudicioq; honesto. Illud igitur breui confitendū libertatem esse rem dictu inopinatā atq; admirabilem. Quare liberi homines nullam sui corporis æstimationē recipere dicuntur. Sed solum aut operarū, aut sumptuū, quos fecerunt in uulneris curatione, aut in alijs eius generis.*

Lex 107. Caius.

¶ *Cum seruis nulla actio est.*

Interpretatio.

Licet aduersus infimos iustitia seruanda, tamen cum seruis iure nō agitur, est enim seruorū infima conditio, & fortuna, qui sese è uinculis aliorum, ac potestate eripere non ualent, ut iudiciū mouere non facta sibi facultate agendi, queant. Nam, quantum attinet ad ius ciuile, pro nullis habētur, neq; ad solemnia iuris adhibentur, quod cum eo nullam

Ob id eorum uita non tantũ(quid enim infelicius, quàm in liberratem se non uindicare?)dura,uerum etiam misera censenda erit.

Lex 108. Paulus.

¶Ferè in omnibus pœnalibus iudicijs, & ætati, & imprudentia succurritur.

Interpretatio.

Aequitate iudicum attenditur,ubi de pœnis corporis inter litigatores contentio consistit. Tunc enim ea diligentia personarũ cõditiones,& circunstantias obseruãt,ut iuris interpretatione malitiosa iniuriam inferre nõ uideãtur. Primũ minores quidem,quando delictum cõmissum est non ex animi sententia,restitutionis auxilio iuuãtur,sin dolo malo in aliquo deliquerint infirmitas ætatis non excusatur. Deinde uero senes in quibus pœnæ modus pro sui conditione statuetur,si cõuincantur de finibus agri motis,sine dubio in breuius tempus relegãtur, quàm si essent iuniores. Postremo autem imprudentes,qui per ignorantiam,aut forte fortuna rem alienam suam credẽtes furati sunt,delicti leuiorem pœnam dabũt,cum in hac parte animus cum ætate delinquentis sit ualde obseruandus.

Lex 109. Paulus.

¶Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non poßit.

Interpretatio.

Nullius criminis pœna is cõuincitur, qui nec suis uiribus, nec cõsilio,nec animi sui prudẽtia obuiã uenire quiuit,quo minus fieret,quod semel cœptũ erat. Quemadmodũ accidũt,seruorũ,qui fugerint sine culpa dominorũ,quũ ab eis nõ solebãt custodiri,furta,rapinæ, impetus,& similia eius generis. A dominis autẽ huiusmodi nõ debẽt præstari,cũ eos prohibere,si remediũ dari uideretur, conati fuissent. Quare suæ imprudentiæ imputari non debet,neque eo nomine cõdemnandi. Inhumanũ enim esset eos reos fieri,qui nullo modo resistere potuerint

Lex 110. Paulus.

¶ *In eo, quod plus sit, semper inest & maius.*

Interpretatio.

Maiori minus inesse cõfiteri debemus. Quis enim negaret stipulationẽ decem ducatorũ, cum prius in interrogatiõe maioris summæ mẽtio erat facta, ualere? Quãdo statim ea respõsionis diuersitas utrisque cõtrahentiũ, placuerit. Proinde, si rationi cõgruere uideatur, dicendũ erit, ex potentiori, rei minoris iura deduci posse. Nam si milo humeris sustinere bouem uiuum dicatur, quid oberit, quo minus uitulum ferre queat.

Paragraphus. Nemo.

¶ *Nemo alienæ rei expromissor idone⁹ uidetur, nisi cum satisdatione.*

Interpretatio.

In negocijs alienis expromissores, qui idem cõpromittũt, nõ accipiũtur, nisi unà dederint satisdationẽ, qua cõtenti sint futuri, pro quibus obligantur. Quòd in defensione alicuius, si detur procurator non ante audietur, quàm cauerit impensas, & iudicatũ solui. Quid enim æquius esse solet, quàm omnia fieri citra omniũ iacturã, futurumq; aliquod incõmodũ? Huic rei sane remediũ occurrit, cũ satisdare solemus, pro eo quod petitum est, datis fideiussoribus aduersarios securos facimus.

Paragraphus. Pupillus.

¶ *Pupillus pati posse non intelligitur.*

Interpretatio.

Pupillis, qui cũ sint impuberes, & extra patris potestatẽ, restitutionis beneficium non denegari solet, quibus leges & iura omnia fauent.

Vbi maximè apparet aliorum calumnia læsos esse. Ex quo efficitur, ut nihil incommodi patiatur. Eorum enim scientia non sufficit, ut sibi possint negociari, nisi doli capaces quicquam commiserint. Quo casu eos teneri certissimum erit.

Paragraphus. Vbi uerba.

¶ Vbi uerba coniuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum.

Interpretatio.

Cum orationis membra separatim proferimus (quod disiunctũ uocamus) ut puta, aut lex aut decretum, eorũ uno existente, alterũ tollitur. Contra uno sublato necesse est alterum cõcludi. Nam si petam aurum, uel argentum, sufficiet, si alterũ dederis. Quoniam alterius obligationem, si qua erat, extinctam esse, neminem fugiat.

Paragraphus. Mulieribus.

¶ Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur.

Interpretatio.

ταῖς ἀπατώσαις γυναιξί το δόγμα τῆς συγκλήτου βουλῆς οὐ βοηθεῖ. Decipientibus mulieribus dogma senatusconsulti non auxiliatur. Infirmitas enim fœminarum, non calliditas, auxiliũ commeruit. Quẽadmodum leges tutantur & defendũt, ne aliorum fraudes sibi noceãt. Ita tamen prohibent, ut eo beneficio, ne cæteris iacturam ponant, atq; alieno incommodo locupletentur. Proinde ea fenestra aperta est, non ad calumniandum, sed ut suo iure quisque utatur. Quid enim foret iustius? quid sanctius contingeret? quàm calumniatores puniri, læsos uero subleuari, ansam mali præbendo nullam? Quare æquum uisum est, mulieribus succurri.

Lex III. Paulus.

¶ Pupillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse & furandi, & iniuriæ faciendæ.

Interpretatio.

Lex est de pupillis, quam didicimus, accepimus, legimus. Verum ex ipsorum natura exprimimus, non solum docti, sed instituti, sed imbuti, ut si in uita sua pubertatis in qua sunt doli capaces, aliquas insidias, si uim, si furta, si iniurias, parauerint, honestã rationem esse suum priuilegium ætatis inter huiusmodi delicta silere. Vbi leges eos defendi, & restitui non iubent. Expectent igitur, ut iustam pœnam luant pro ætatis modo & ratione. Morum enim, cum peccatum est, ægritudo nõ excusat.

Paragraphus. In hæredem.

¶ In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio: ueluti furti, damni, iniuriæ, iniuriarum, ui bonorum raptorum.

Interpretatio.

Cum elegantissimè sit iuris prudentia definitum, omniũ delictorũ pœnas, & actiones, cum suis personis interire, sanè intelligendũ erit, (ut huius exemplo reliqua pateãt) furti actionẽ, quæ erat infamiæ ad hæredes minime pertinere, nisi rei recuperationem, si ad eos peruenerit, ac locupletiores uideantur. Ea enim est natura, ut solum eos obligent, quorum consilio, & opera, scelera commissa sunt. Hac igitur ratione probabile erit, ad eos, qui succedunt, non transire, qui sunt innocentes, & nullius mali participes.

Lex .IIII. Paulus.

¶ Nihil interest, ipso iure quis actionem non habeat,

an per exceptionem infirmetur.

Interpretatio.

Nemo esse debet, qui hoc ignoret, hæc duo legũ sanctione nõ discre pare, an quis aliqua actione uti nõ posit, an si nullũ effectũ sortiatur experiẽdi facultate, quod de ea excipiatur. In eo locũ habet, qui in ser uitute cõstitutus pactũ fecit, ut libertatem acciperet dando fideiusso rem, ea lege in se actionem transferri, quo manumisso, ne ĩ eũ agatur, excipiet. Sed tandem erit de dolo actio, ut testatur Pomponius.

Lex 113. Caius.

¶*In toto & pars continetur.*

Interpretatio.

Venio nũc ad caput, quod est firmanetũ & robur multarũ caus sarum. Cum sit ita graue & uehemens, multò magis sui amplitudinẽ, quàm breuitatem admirari uidemur. In quo sic dicemus, gregem stipu latos, & partem eius petendo nulla exceptione submoueri. Quoniã in grege multæ sunt partes, quæ separatim peti possunt, pro stipulantis arbitrio. Hoc loco etiã dicamus nauem petendo nobis postea eius tabu las nõ denegari, ueluti insunt in suo genere, & eius species, & mẽbra

Lex 114. Paulus.

¶*In obscuris inspici solet, quod uerisimilius est, aut quod plerunque fieri solet.*

Interpretatio.

Si ambiguũ est scriptũ, ut puta, quod in tres, aut in plures sentẽtias duci posit, ea ratione tractãdũ erit, in quo fuerit scriptoris uolũtas, & an fieri uideatur honestè, rectè, lege, more, natura, bono & æquo. In præsentiarũ hæc interim nõ alienũ sit dicere. Id duntaxat ostẽdẽ dũ, quod plus fidei & ueritatis habere uideatur, usu frequẽti & publi co. In seruo enim sine libertate instituto, de qua nihil scriptum erat in testamẽto. est uerisimile eũ electũ hæredem cum libartatis beneficio.

Lex 115. Paulus.

¶ Si quis obligatione liberatus sit, potest uideri accepisse.

Interpretatio.

Quoties nobis aliquid donatũ est, & remissum, licet in nos eius rei dominiũ statim non transferatur, tamen cœpisse uidemur. In quo nihil est dubitandũ, cum adhuc nõ habemus inter res nostras. Nam iure donationis, uel liberationis nitimur. Vnde hic dicere necesse est, pẽdere effectũ acquisitionis, donec traditum fuerit. Ex natura uerbi cœpisse hoc cõsurgit, eum cæpisse, qui tamen dominiũ adhuc nõ acquisiuit.

Paragraphus. Non potest.

¶ Nõ potest uideri accepisse, qui stipulatus potest exceptione submoueri.

Interpretatio.

Videmus hæc pendere ex eo quod in principio huius capitis propositũ, ad quod sunt referenda. Quemadmodũ, (ut quisque facilius per se perspiciat) si quis ui & metu munus aliquod cœpisset, ac post de eius hæredibus aliquis pro sua parte agere cœpisset, eius actionem infirmari admonet hic iurisconsultus, ut non plus capiat, quàm si nihil relictũ sibi fuisset. Cum omnem uim & metum à republica abesse lege sit sancitum, ut in capite proximo uidebimus.

Lex 116. Vlpianus.

¶ Nihil consensui tam contrarium est, qui & bonæ fidei iudicia sustinet, quàm uis atq; metus: quem comprobare, contra bonos mores est.

Interpretatio.

In prĩcipio hui⁹ capitis cõsiderãda sũt duo genera, tollẽdi expugnãdiq; oẽs cõtract⁹ bonæ fidei, q solo cõsensu, ut oleo flãma, corpe aĩa, nitũtur.

Vnum per metum. Alterum per uim, neutrum est propriũ hominum, utrunque belluarũ. Quibus, si nos capi cõtingat, & uti nostro iure nõ possimus, confugiendũ ad leges omnium malorum ultrices, ut in pace, sine ullo rerum nostrarum incommodo, uiuamus. Quare in republica nec occurrit quicquam tam inimicum, quàm uis, nec æquitati quicquam tam infestum, quàm homines, ut iniuriam inferant, armatos conuocari, nec bonis moribus magis contrarium, quàm ciues perturbari metu, qui est, authore Cicerone, in opinione magni mali impendentis.

Paragraphus. Non capitur.

¶ Non capitur, qui ius publicum sequitur.

Interpretatio.

Qua ratione, quo consilio, quibus artibus, qua lege, is caperetur, qui ius ciuile (seu ut hic dicitur ius publicum) sequi maluit, quàm ab eo quoquam diuertere? cum (si authorem ius ciuitatis habuit) illud sit lex honestatis & æqui cuius ratio, à natura data est, imperans quæ sunt honesta, uetans omnino contraria? Quare, ut paucis, dicamus, is, qui legibus paruit, ita uixit, ut à quoquam iure non possit accusari, atq; quicquã incommodi consequi. Proinde ei, si ita contigerit, restituatur, quod fortasse aliorum iniuria amiserit.

Paragraphus. Non uidentur.

¶ Non uidentur, qui errant consentire.

Interpretatio.

Nihil sub sole tam contrariũ consensui, quàm est error, quo rerum, factorumq; incommoda in lucem prodeunt. Nam nullius est momenti atque uirtutis quod, discussa caligine, errore actũ est. Cum, Iuliani sententia, nobis sit dicendum eos esse sine ullo consensu, qui aut in dictis, aut in factis errarunt. Omnium quidem hominũ est errare. Cui instãti resistendum, ut retineamus cum dignitate nostra, quod ad nos pertineat, sine cuiusquam iactura.

Lex 117. Paulus.

¶Prætor bonorũ possessorem hæredis loco in omni caussa habet.

Interpretatio.

Prætor iudex æquitatis, qui summũ ius corrigit, ĩterpretatur emendat, bonorũ possessorem ad hereditatis actiones recipit, perinde ac hæredẽ. Præterea, ut hic scriptũ est, ait esse loco hæredis. Ex quo efficitur, ut uere non dicatur hæres. Nam prætor iure suo non faceret hæredem, sed intelligendũ est, eum hæredi in foro iudicijsq; ad agendum subrogatum.

Lex 118. Caius.

¶Creditor, qui permittit rẽ uenire, pignus dimittit.

Interpretatio.

Si apud creditorem res debitoris pignori obligatæ erant, liberantur. Quando uoluntate sua à pignore discessit. Quare, cum post uult persequi non audietur, nocebitq; ei quod consenserit, ut puta, si earum uenditionem non impediuerit. Sed magis pro ea perficenda ui sus fuerit auxiliũ attulisse. Ob id existimandũ eum solũ culpandũ, sibiq; imputandũ esse. Nõ tamẽ cõsensus ratus habeatur, nisi præsens cõsenserit, aut aliter de eo certum sit, ueluti, si mandarit, uel per epistolam, uel per nuncium.

Lex 119. Paulus.

¶Non, ut ex pluribus caussis deberi nobis idem potest: ita ex pluribus caussis idem possit esse nostrum.

Interpretatio.

Nemo rem unam legitimè ex diuersis titulis aut tenet, aut sibi deberi tuetur. Quoniam sic traditum est, humanis cõstitutionibus in rerum diuisione, ut uno nomine, unáq; caussa omnia caperentur, atque

tandiu possessores seruarēt, quo ad uti illis cōcederetur. Quare res oc cupare sceleratorum cōcursus & auaritia, & ciuiles leges & numina uiolare, desinat. Ita igitur sentiamus, ne nos nostrosq; fallam⁹, teme re, quod nō cōcessum fuerit, occupādo. Domo enim sub cōditione in te stamēto mihi relicta, quam ab alio dono datam ad me denunciatū fuit, ac postea existente legati cōditione ea, non iure donationis, sed legati mea dicetur. Cum ex duabus caussis idem non possideatur.

Lex 120. Vlpianus.

¶ Aliud est uendere, aliud est uendenti consentire.

Interpretatio.

Cum de iure, & legitimis hominū legibus mentionē facimus, & in his rerū uim nominamus. Ita intelligere debemus nominū & uerborū uirtutes & differētias. Ex quibus sæpenumero multa capita sunt constituta. Hoc uere possumus dicere in uerborum discrimine uersari. In quo & caussa & utilitas non relinquitur, sed etiā sese prodit. Sed, ut id dubij soluamus, suis & certis ac proprijs uocabulis, hæc res noīatur, nec sine uerbis, quæ quæsita sunt rerū caussa, intelligeretur. Quare in uerbo Vendere, actionē cōpetere dicamus ob euictionem etiā, si nihil fuerit inter contrahentes cōuentum. In altero, Vendenti consentire, exemplo uti necesse est, quod testimonio fit. Quando etiā ex uerbis ius pendere nonnunquā uideamus. Veluti uendēti pignus creditor cōsentiebat, ac post eo euicto, ex empto nō teneri certum est, quāuis eo præsente à debitore distraheretur.

Paragraphus. Refertur.

¶ Refertur ad uniuersos, quod publicè fit per maiorem partem.

Interpretatio.

Ad omnes ciues simul collectos pertinet, quod in publico loco factū cēsetur à bona ciuiū parte, quæ selecta ad ciuitatis munera tractāda.

Cum ob multitudinẽ immẽsam sine magno hominũ tumultu & clamore tota ciuitas uix cõuenire quiret. Visum est prudẽtissime, ut & prudẽtiores & doctiores seligerẽtur, qui sine populi cõcione & frequẽtia rempublicã integrè administrarẽt. Quẽadmodũ, ut amplius dicã, sine cõtrouersia erit, cõmodè cõstitutum à primoribus ciuitatis de publicis negocijs. Quando maximè pro uniuersitate, uel republica simul atque omnium utilitati studuerint.

Paragraphus. Absurdum.

¶ Absurdũ est, plus iuris habere, cui legatus sit fundus, quàm hæredem, aut ipsum testatorem si uiueret.

Interpretatio.

Omnium rerum, quæ fuerunt penes testatorem fundi caussa, splendor & amplitudo, addo etiam & utilitalem & incõmoda, in posteriore ita se habebũt. Caussa & ratio id efficiunt, ut ne uehemẽtius excellat aut possideat, quàm prior, qui uoluntate sua alteri ius suum cessit. Dicendum est igitur nihil in agri possessione uariatum, neque à priore statu discessum. Nam legatarius non maiora prestabit, nec cõtra minus emolumenti referet, quàm is, à quo id iuris sumpsit. Quod enim fuit utile, uel contrariũ possidenti. Illud etiam aut proderit, aut obstabit sequaci.

Lex 121. Vlpianus.

¶ In iure ciuili receptũ est: quoties per eum, cuius interest conditionẽ non impleri fiat, quo minus impleatur: perinde haberi ac si impleta cõditio fuisset. Quod & ad libertates, & legata, & ad hæredũ institutiones perducitur. Quibus exemplis stipulationes quoq; cõmittuntur: cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

Interpretatio.

Vera & sapiens iuriscõsulti cogitatio, quæ mauult esse iusta, quàm uideri, cum maximè nullo tempore uelit uacare, sed diligentius multorum iniuriã propulsare conetur. Qui (ad eos enim non impleri pertinet) ex industria faciũt, & student, quominus, libertatis, stipulatio- tionis, legati, hæredum institutionis, conditiones effectum sui sortiantur. Sed, (ita autem receptum est) si non uitemus, fugiamusq;, eorum conatus & studia, nulla perturbatione huiusmodi contractus in nihilũ discedent. Id amplius in exemplo Arethusæ patet cui libertas sub conditione relicta, si quattuor peperisset, ei ueneno dato ab hærede per quem stetit, ut non esset partus, statim est futura libera. Nihil igitur aliud expectari debet, si apparuerit heredis, aut alteri⁹ iniquo consilio illatum impedimentum conditioni.

Sex 122. Paulus.

¶ Quę propter necessitatem recepta sunt, non debẽt in argumentum trahi.

Interpretatio.

Si quando necessitas rebus communibus, & priuatis obuenerit, danda erit opera, ut nemo ignoret, etiam si ius saluũ non sit, illi esse parẽdum. Non erit necesse de ea disputare, cum in promptu eius locus sese offeret, Nam ea multa facit improuisa nec nobis opinata propter obscuritatẽ, ignorãtiamq; rerũ. Cum nihil aliter rerũ possit, atq; ab ea cõstitutũ fuerit, euenire. Est enim intra quãdam ordinis sempiterni mutabilem continuationem.

Lex 123. Vlpianus.

¶ Cui ius est donandi, eidem & uendendi, & concedendi ius est.

Interpretatio.

In hoc capite tria sunt genera, suã rem in alienos transferẽdi. Vnũ eorũ, qui liberalitatem, & munificentiam exercendo, neminiq; nocendo, faciunt accipientis, nec uolunt post donationem ad se reuerti; cum pro illius dignitate benignè tribuerũt. Nam arbitrantur se liberales in eum amicum suũ uisum iri, Alterũ, in rebus suis contrahendis; ac à se uenditione liberandis. Ex qua omne mendacium cum dolo malo, uel simulatione, uel dissimulatione tollendũ est; inter contrahẽtes, ut sine dolosa & malitiosa licitatione sit collocutũ. Quẽadmodũ solet inter uiros bonos, qui non pluris uendunt, quàm suæ res æstimantur. Quando nihil celant, sed quod (ne obscuri ac astuti uideantur) sciunt, norintq; inutile, id continuò in lucem proferunt, nihil ad orationis uanitatem cogitando. Tertium, si temporibus & locis adducamur concedere amicis & propinquis, in collocando beneficio, uel in gratia referenda aliqd, quod sit futurũ u sui. Optimè enim cõcedẽdo, cõmodando, cõmunicando, societas hominũ & amicitia seruatur. Cum iure naturæ (quo omnia sunt cõmunia) etiam admonemur, si sine detrimento possit concedi, illud ut tribuatur cuiq;, uel ignoto. In quibus igitur ponderãdum est, qua facultate, animo, & beneuolẽtia, quisque erit. Item dicendum in cuius potestate unum horum collocatum fuerit, modo facere possit sine iniuria. Reliqua duo non deneganda esse.

Lex 124. Paulus.

¶ *Poenalia iudicia semel accepta, in hæredes transmitti possunt.*

Interpretatio.

Paulus iurisconsultus prouulgare ausus fuit actiones, quæ uel ad tẽpus, uel ad rei mortẽ durãt. Si tamẽ iudicijs includãtur sine periculo, perinde ac in uado incolumes seruari. Quemadmodũ sunt poenales quæ hæredibus competunt, & in hæredes transeunt, apud iudicem lite accepta. Quam ob rem nemo potest discedere, atque harũ poenas à se eripere, quin non solum ad leges confirmandas, uerum etiã ad malos homines deterrendos, scelera puniantur.

Lex 125. Vlpianus.

¶ Cum quis poßit alienare, poterit & cõsentire alienationi. Cui autem donare non conceditur: probandum erit, nec si donationis caussa consenserit, ratam eius uoluntatem habendam.

Interpretatio.

Cum eadem superiori capite elegãtissime, & breuissime ab Vlpiano dicta fuerint, uno uerbo satis erit perstringere, huius mentẽ, & intellectũ, quo multis nihil potuit accidere accõmodati⁹. Nã iustitiæ munus uideremus in eo, quatenus in alienãdis rebus suis expertes consilij & ætatis ne circũscribantur. Quare huius caput est, in ijs (eorũ mentionem facimus, qui rerum suarũ sunt iusti domini) liberam bonorũ suorum esse uendendi facultatem, & in alios uere ius suum conuertendi. Huius autem generis non sunt infantes, pupilli, minores, quibus consensum inesse, nõ intelligitur. Ob id sine eorũ authoritate, qui ipsorũ curã gerũt, nihil agere dicũtur. Qui donationibus, uenditionibus, alienationibusq; similibus, consentire iuris prudentia non possunt. Quare si priuatim quicquã (ut puta fundũ) uendiderint, hoc inutile, & minime ratum habebitur. Nam in perniciem, & iacturã potius, quàm sui & suorum emolumentum contraherent.

Lex 126. Paulus.

¶ Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

Interpretatio.

Qui ad iudicem uocantur, iudicio sisti locupletem fideiussorẽ dare debẽt, eum dicemus, qui satis, & idonee habet in rebus immobilib⁹ pro rei magnitudine, quã actor restituendã esse petit. Inde cõsequens est, neminem fore defensorem alienarũ caussarũ sufficientem, nisi paratus sit fideiussores idoneos dare, ut solemniter apud iudices caueatur iudicatũ solui. Nam pauperes dicũtur, qui satis non habent pro quantitate

ei,de qua agitur:quales sunt,qui minus in bonis suis habent, quàm au-
eos quinquaginta.De qua re in arbitrio iudicis erit dijudicare.

Lex 127. *Iulianus.*

¶ Non uidētur data,quæ eo tempore,quo dantur,ac-
ipientis non fiunt.

Interpretatio.

Quoties quis eo animo dat,cum aliquid fuerit secutū,ut cōtinuò ac-
piēs suū nō dicat.Hæc donatio nulla esse potest.Cuiusmodi uidētur
ui suis ita gratificātur,ut liberales esse dicantur. Cum quod largiti
nt,ab alijs rapuerāt,quo nihil potest esse iniustius, magisq; contra-
ū æquitati,quàm alienā rem in suos usus couertere.Nā nihil quidem
berale,nisi illud idem iustū fuerit.Quū rapiēdo,auferēdo per uim &
olum malū,alienū dominiū liberè transferre nequimus. Ne quis igi-
r arbitretur eos,qui quacūque ratione rapiunt,uisum iri donasse.

Paragraphus.Qui iussu.

¶ Qui iussu iudicis aliquid facit,nō uidetur dolo ma-
o facere:quia parēre necesse habet.

Interpretatio.

Authoritati iudicū parēdū esse,nō solū Iulianus fatetur, uerū etiā
-simus pudore & temperātia moderatiores in eos admonet. Vtque
hil de laude,dignitate,imperio,per effrenatā indomitamq; libidinē
ropter iustitiæ sanctitatē diripiamus. Sunt enim & stant pro ciuiū
ace cōtra hostes & reipublicæ oppressores,quos nō minus strenuè,q̄
n exercitu deuincūt.Quū prædonū uehemētes impet⁹,furū rapinas,
trociniaq; cohibeāt.Tāti igitur faciēda eorū ratio,ut oīa pacata esse
ideātur.Ex quo intelligi potest,eum debere magnopere caussæ cōsi-
ere,quod mādatis iudicis certissimis fretus ad pecuniā soluendā pu-
illis & minorib⁹ descēderit.Nā obid quòd impulsus fecerit,nihil sibi
nputabitur.Sed perpetuò de ea securus permanebit.

Lex 128. Iulianus.

¶ Rapienda occasio est, quæ præbet benignius respõsum.

Interpretatio.

In multis rebus, quòd adsint ambigua, nonnulli occupantur, ne imprudentius omnia misceant. Hoc commodi, quod ad eos attinet, ex hac lege referẽt, ea duntaxat spectanda, quæ accõmodatius ad suscipiendum intelligantur. In quo est officiũ uerissimi & sapientissimi iudicis, qui non conatur sine emolumẽto (cum sit ueritatis amicus) ijs, pro quibus ius dicit, iudicia facere. Mauult enim in summa mendicitate permanere, quàm perspicuũ crimen & suspitionem ad prædam adiungere. Cæterũ ut id magis eluceat dicas pro libertate iudicatum fuisse, si diuersæ senẽtiæ apud iudices numero pares, perlatæ fuerint, perinde ac in pecuniarũ summis. Quoniam quæ minima uidebitur, ea, quum mitior occurrat, spectanda erit.

Paragraphus. Quod factum.

¶ Quod factum est, cum in obscuro fit: ex adfectione cuiusque capit interpretationem.

Interpretatio.

Vbi occurrit, quod occultatur, & absconditur, cuius finis quorsum tendat, ambigitur. Ea sunt animaduertẽda, maximè quæ ex animo & uoluntate authoris sese offerunt, ad id quod inducit ad caussæ exitum honestiorẽ, & qui magis conueniat. Etenim ut id intelligatur, ita quærere debemus (ubi multa audacter, multa improbè, multa auarè facta uidere licet) utrum sit inter tot flagitia unum quod lateat maius? ut indigna ambiguitate liberemur, iurisconsultus ad eius affectionem referri putat, qui fecit, aut commisit.

Lex 129. Iulianus.

¶Factum à iudice, quod ad officium eius nõ pertinet, ratum non est.

Interpretatio.

Iudex sapiens cogitabit, quantum sibi à principe permissum, quantum cõmissum, & creditum fuerit, & nõ solum sibi potestatem datam in suos creditos sibi, uerum etiam iurisdictionem habitam. Vt nõ quæ ipse sibi uelit, sed quæ lex & consuetudo cogat, in ijs uersetur, seq; nõ libidine, non odio, non inuidia, exerceat, sed fidem, æquitatem, religionem colat. Nam si extra suæ dioecẽsis fines ius dixerit, consequẽs est, sententiam esse nullius momenti. Cum iudicis factum non potest iuri derogare.

Lex 150. Iulianus.

¶Nemo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio, quod præstiterit.

Interpretatio.

Non est æquum eum damna restituere oportere, quæ ipse suo nomine non fecit, quin cõmoda sua omnia, iura, salutem, legibus obtineat, à quibus si recederet, simul & illud indignum cogitaret. Quum illa sint uitanda, ne, si in alienas utilitates beneficia rectè sint collata, intollerabiles sumptus feramus. Veluti si quis constitueret se alterius defensorem, quando caussam obtinuit omnes existiment, id quod in sumptum erit consecuturum. Quoniam ita alter defensus fuit, ut innocentiam obtinuerit apud iudices, propter quem omnem operam, curam, in periculis defendendis collocarat.

Lex 151. Iulianus.

¶Is damnum dat, qui iubet dare, eius uero nulla culpa est, cui parére necesse sit.

Interpretatio.

Quod si parētes charissimos habeamus, illis morem gerere sine dubio debemus. Nam nobis uitā, patrimoniū, libertatē, patriam tradiderunt, multisq; rebus & magis necessarijs aucti sumus. Cum igitur par est in obsequendo gratiā referamus, in damno erunt eius, quod secutū erit eorū mādatis. Cōtra uero filij innocētia probanda, qui fecit, in cuius officio erat, parēre. Hoc tamen sanè accipiendū, si patris iussu hominem occiderit, utrunq; eius facti pœnas pendere oportet. Iura enim nō sinūt admissa impunita. Quapropter, quāuis ulciscēdæ iniuriæ facilior ratio sit in minoribus, tamen, ut ledēdi libertas deponatur, contra improbos quoscunq; necesse fuit, facinoris triste præmiū propositum esse. Nunquam dubitatum à maioribus communem salutem pluris fieri, quàm singulorum ciuium. Nemo enim nescit, quantū inter se corpus, & membra distent.

Paragraphus. Quod pendet.

¶ Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

Interpretatio.

Et si futura, quæ ad tempus pendent, nobis, portētis atq; prodigijs multis, apertè denuncientur, nec tamen nobis aliqua pœna, aut actio, appropinquabit. Tantus enim omniū cōsensus est, quòd in nostra uolūtate nō sint, ne talia quasi esse dicātur. Reliquū est igitur, donec cōtingant, nullas aut actiones, aut obligationes relinqui: quo multi animū suū erexerūt, spemq; ceperūt nō modo utilitatis cōseruandæ, uerū etiā ne ante tēpus iudicio uexētur. Lōgo igitur īteruallo, aut fortasse perpetuo, Iuliano authore & principe, sui iura & libertatem tueri poteruut.

Lex 132. Iulianus.

¶ In contrahenda uenditione ambiguū pactū contra uenditorem interpretandū est. ambigua autē intentio ita accipienda est, ut res salua sit actori.

Interpretatio.

Nemo est, qui ueditorē boni uiri officio fungi debere neget. Is enim est, qui si in rebus suis uendēdis usus fuerit, aut taciturnitate, aut simulatione omnia incōmoda referet, quū inter bonos uiros nō decet dolosē aut malitiosē quicquam agier. sed tollendū est ex omnibus negocijs & mendaciū, & ambiguū. Quapropter primum spectari oportet, quid inter cōtrahentes fuerit pactū. Nam si id obscurum appareat, magis nocere debet uenditori, q̄ emptori. Poterat enim rem suam apertius uendere, quam emptor, si ignorarit, sibi erit utile. Ambigua igitur oratio in perniciem uendentis recurret.

Lex 123. Iulianus.

¶ In condemnatione personarum, quæ in id quod facere possunt, damnantur: non totum quod habent extorquendum est: sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.

Interpretatio.

Etiā si in certam summā, quā soluere possunt, damnati fuerint filij, ut suis parentibus alimēta præstēt, nō tamen ab ijs quicquid iudicatum reperietur extorqueri debet, ne fortasse interim liceat esurire. Quoniā Iulianus ea ratione adductus minimē alienū ab æquo & humanitate putauit interdū damnatos ad extremū nō cogēdos. Quare utriusque pro dignitate ratio habenda atque interim ne alter horū egestate opprimatur. Sæpe enim euenire solet, ut eo egeamus quod omnino à nobis creditores extorserūt. Tanta enim sæuitia in suos debitores nōnunquā utuntur. A simili idem dicas donatoris facultates usque adeo exhaurire non licere, ut uix quicquam in bonis suis relinquatur. Cum in id quod facere potest, actio danda sit, aliquid quod satis sit condonandum. Id imprimis inter filios & parentes obseruari uisum est.

Paragraphus. Cum uerbum.

¶ *Cum uerbum* RESTITVAS *lege inuenietur: & si non specialiter de fructibus additum est: tamen & fructus sunt restituendi.*

Interpretatio.

Certum est, atque deliberatum quæ ad significationem uerbi RESTITVERE *pertinent, omnia non modo de re ipsa, uerum etiam libenter, audacterq; de eius fructibus dici debere. Nam à lite inchoata, qui est condemnatus omnes fructus, quos actor percepisset, ut restituat, cogendus erit. Id amplius tractare pudet, quum Paulus in capite restituere, de rerum & uerborũ significatione, & elegantissimè, & acutissimè interpretatus fuerit. Tu igitur fontem ipsum petes, ne de turbulento riuo uidearis magis, quàm de aqua purissima potare.*

Paragraphus. Vnicuique.

¶ *Vnicuique sua mora nocet. Quod & in duobus reis promittendi obseruatur.*

Interpretatio.

Qui in sua re uidetur tardissimus, erit (ut fit) perquam negligens in alienis rebus. Ne uero mirum sit, si eius tarditas huc accedat, quòd quamuis sibi uideatur studere non soluendo quod debet, tamen ea incõmoda cõsequitur, quæ in creditorũ utilitatẽ uersa fuissent, si ad tempus accepissent. Nemo deinceps sua mora cæteris nocere conetur, quũ temerè tantum sibi damni paret, quantum perspicuũ erit, in dolo malo uersatum fuisse. Id igitur in bonam partem accipiamus, quod non parum humanitatis habeat. Eò enim accessit hæc sententia, ut (ne longius abeam) omniũ utilitatem cõmoneat, iuuetq;.

Paragraphus. Dolo.

¶ Dolo *facit, qui petit, quod redditurus est.*

Interpretatio.

Caius Aquilius Ciceronis familiaris de dolo malo legem tulit(quē appllabat, quum aliud sit simulatum, aliud actum) per quam multorum malorum fomenta extirpatū iri arbitrabatur. Videbat enim eo uersuto & fallaci uelamēto reipublicæ & ciuibus quàmplurimis multa incōmoda subcrescere. Sed ut huic morbo mederetur, iretq; obuiā suis formulis definitum est, malitiam improbi & simulantis hominis in sese cōuerti. Quemadmodū dici potest apertius de marito, qui à parentibus suæ uxoris dotem dolo malo exegerat, conuentum ante fuerat, se non petitum iri, socero uiuente. Sed facto diuortio eam mulieri restituere debebit.

Lex 154. Iulianus.

¶ Qui potest facere, ut poßit conditioni parére iam posse uidetur.

Interpretatio.

Hoc quidem magnum, quod in principio huius capitis breuiter attingitur. Sed profectò eo nihil præstātius, quo planè intelligi potest, neq; opinione, sed natura ius ciuile esse constitutū. Id iam patebit, si hominū pacta & uoluntates inter ipsos perspexeris. Quoniam nihil obstat, quo minus conditionis positæ legem quis perficiat, quando in eius uolūtate, quasi inesse dicatur. Vt si fundum ea lege Labeoni uendidero, si Paulus eum mihi dedisset Et per me factam est, ut ab eo nō impetrassem. Quasi impletam conditionem, quis negaret? quum per me uenditorem stetit, ne in lucem prodiret.

Paragraphus.

¶ Quod quis (si uelit) habere non potest, id repudiare non potest.

Interpretatio.

Neminem ignorare arbitror hanc sententiã,in se habere quod repugnet,nisi attẽtius pspexerit. Quæ in summa ita sese offert. Nihil aliud quẽquam agere uideri,nisi maximè quod penes eum erit. Neque(dicã ut res est) quicquã denegare posse quod in arbitrio eius minimè collocabitur. Vt puta,qui quũ institutus non sit,acquirere hæreditatem non quiuit,eam integrã,uel pro parte nõ repudiabit. Quoniam certissimũ est,eum in potestate non habere copiã adeundi hæreditatem,qui si uellet,non adiret.

Lex 135. Iulianus.

¶ In omnibus officijs,quæ fieri per liberas personas leges desiderant,seruus interuenire non potest.

Interpretatio.

Cum nihil sit seruitute fœdius,& ciues ad libertatẽ,nati sint. Hæc quidẽ diligẽtissimè obseruarũt,ut cum dignitate potius honestè per liberas personas,quàm cum ignominia seruorum consilijs,regerẽtur. Sic igitur erant seruilis cõditionis homines in republica,ne ullos magistratus exercerent,inirentq; publica iudicia. Quod ideo factũ uidetur nõ quod careant iudicio,sed quia constitutum fuit,ut in rep. non starent. Quoniam duntaxat lege impediuntur,ne sint iudices propter suos mores non satis accommodos.

Paragraphus. Non debeo.

¶ Non debeo melioris conditionis esse,quàm auctor meus,à quo ius in me transit.

Interpretatio.

Inuentus est nemo,qui auderet,nisi impudenter,plus iuris & authoritatis sibi attribuere,quàm erat ei,in cuius locũ successit. Talis enim in iudiciũ uocando sine titulo,legitimaq; caussa quẽquam,apud iudices est repulsam passurus. Quũ duntaxat sui authoris imaginẽ sibi concedatur sequi,quã aut agendo aut possidendo ea honestatis significatione

imitabitur, ut nulli iacturã afferre uideatur. Deniq; nihil sibi persuadeat, nisi quod fuerit, aut legitimũ, aut quod pro rei suæ dignitate sine ullo impedimẽto indultum erit. Hoc enim satis liquet in bonæ fidei emptore, ut non sit melioris fortunæ & conditionis, quàm prius erat is, qui uendidit.

Lex 136. Iulianus.

¶ *Non est singulis cõcedendum, quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi.*

Interpretatio.

Si inter ciues sit liberum quæ uellent facere, in republica omnia & turbulẽta & temeraria & periculosa essent. Sed ne ea occurrãt tanta prudẽtia, diligẽtiaq; prouisum est, ne conuocarentur homines, propter aut possessionis cõtrouersiã, aut iuris sui retinẽdi caussam. Quoniam nec iuri quicquã tam inimicũ, quam uis, nec æquitati quicquã tam infestum, quàm conuocari homines, & armari. Quod cum ita sit, imprimis à magistratibus animaduertẽda sunt per quos in pace & ocio uiuatur. Quẽadmodum si inter plures lis de agri finibus moueatur, ut non ad pugnas & rixas pergant, æquissimũ erit. Sed iudicis authoritate interposita inter eos cautione opus erit, qualiter unus possideat. Nam nemo priuatus, cum sit obediendũ ijs, qui imperant, de lite mota, componere debet ui armorum, & impetu.

Paragraphus.

¶ *Infinita æstimatio est libertatis & necessitudinis.*

Interpretatio.

Libertate nihil est, tam excellens, tamq; magnificum, quam non solũ ab hominibus, uerũ etiã à brutis animãtibus expeti atq; oĩbus diuitijs anteponi, uidemus. Quæ ita iucũda est, ut & nobiles & plebei hoĩes,

& fortissimusq; maximos labores suscipere putāt, ut aliquādo in libertate uiuere possint, præsertim cum imperio, ac dignitate. Quare si libertas sit propria generis atque nominis nostri esse infinitæ æstimationis non dubitemus. Quid porrò in uita humana tam tutum atque celebratum est, quàm summa quidem necessitudo. ad eam enim similis adiunctio non accedit. Nam si exemeris ab hominū societate hanc cōiunctionem, nec familia ulla, nec regnum permanere poterit. Id si non satis intelligamus, quanta uis sanguinis, cognationisq; sit ex cōnuentionibus atque beneuolentia percipiemus. Quid enim est tam firmum tamq; stabile, quàm familia sanguinis uinculo, aut amicitia? quæ non odijs atq; litibus funditus euerteretur. Ex quo quantum boni sit in necessitudine nemo iudicaret.

Lex 157. Iulianus.

¶Qui in ius dominiúmue alterius succedit, iure eius uti debet.

Interpretatio.

Agitur in hoc capite de iure, quod cum suis caussis à successore suscipitur. De quo autem apud homines prudentissimos disputatū est, qui intelligūt, freti legum prudentia, eum carere non debere ijs rebus, quibus defunctus, uel alius qui donauit, utebatur. Contra etiam nec habiturum quod in hæreditate, uel donatione inuentum non fuerit. Qua inre quantum illi diligentia præstiterint, æquitatis, iustitiæ, parsimoniæ, magistri fuerunt.

Paragraphus.

¶Nemo uidetur in dolo esse, qui ignorat caussam, cur non debeat petere.

Interpretatio.

Quemcunque suas res habere leges duodecim tabularum iusserūt. Ex omni uita enim nihil est honestius, nihil iustius, quàm cui quod ac-

cidit, id teneat, id ãplectetur, id ab omnib⁹ iustè petat. Nã necesse est, cũ caussis suis res nostras exigere, repetere, uindicare. Quam ob rem sine impedimento, exceptione, negatione, iura nostra ex optimo more, & disciplina legum sanctissima repetemus. Cum enim aliter contingeret, res esset non modo uisu, sed etiam auditu per quàm fœda.

Lex 138. Iulianus.

¶ *Cum principalis caussa non cõsistat: plerunque nec ea quidem, quæ sequũtur, locum habent.*

Interpretatio.

Hoc ita uerũ, ita manifestũ, ita nudũ, nihil ut fieri posit apertius, in quo intelligat qui nolet, modo leuiter, nõ ut improbũ, nõ ut impurũ, sed ut nobis aliquando necessariũ, utile & gratũ. Deuenit, aut potius incidit in hunc modũ tam doctrum quàm est elegans, quo sæpe utimur. ut in testamentis, ut in legatis, ut puta, si non sint legata, quæ per esum & potum intelligũtur, nec quæ comedere solemus, ut oleum, mel. Contra legato penore omnia cõtinentur, quæ in cella penaria, etiam ligna & carbones, quæ non uendendi caussa parata sunt.

Lex 139. Iulianus.

¶ *In obscura uoluntate manumittentis fauendum est libertati.*

Interpretatio.

Quamuis dominus censeatur cautus & diligens, & animo & prudentia in seruos suos, tamen in multis, tum præcipuè in ijs, in quibus prospici debetur, an iusta libertate donati fuerint, nécne? hoc & breuissimum & facillimè tenendum, ut ita iudices, qui testantis uoluntatem ferè norunt, se gerant, perinde ac à principio pro libertate nihil prætermissum fuerit. Quoniam eiusmodi & cõmittendum & rectissimè credendum est. Propterea quòd si herus seruum liberum fore uelit.

Deinde eum legat, quamuis uolūtas ademisse libertatem uideatur. Tamen cum in obscuro appareat, tum fauorabilius dicetur, libertatem cō secutam esse.

Lex 140. Iulianus.

¶ Quod iussu alterius soluitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

Interpretatio.

Quantum ex hoc capite intelligere possum, uideo locum dari (quādo sit mentio de solutione) mandatis, quæ multum operātur non secus, quàm si adessem, qui mandarim. Ego autem (ni fallor) illis tantū tribuo, quātum fortasse mihi arrogarem, si per me solutum fuisset. Quicquid enim priuata authoritate statuerimus, id ad omnia negotia nostra probabitur.

Lex 141. Iulianus.

¶ Si nemo subijt hæreditatem: omnis uis testamenti soluitur.

Interpretatio.

Cum in actis publicis nihil sit lege grauius, in priuatis firmissimū est testamentū. Si tamen semel aliquo modo irritū fiat, clarum erit, per se nullā utiilitatem relinquere. Quod uerius intelligemus, si inductione nomina hæredum nō appareant in testamēto scripta, ad quos nihil pertinet, quòd eorū institutio fuerit inducta. Quāobrem uis testamenti est, futurū nullius momenti non adita hæreditate.

Lex 142. Iulianus.

¶ Quod nullius esse potest, id ut alicuius fieret, nulla obligatio ualet efficere.

Interpretatio.

Quod in nullius bonis numerari dicitur, id nostrū fieri aliqua obligatione, aut cōtractu nō potest. Quale est quod uel publicè dedicatū

uel in templis, uel in ciuitate. Nam nec uendi, nec alienari, nec in dominiũ nostrũ transferri uidetur. Quũ amplius ad usus prophanos nõ euocetur, ut si thesaurũ, aut aram deo dedicasti sine religione loco moueri nequit, à fortiori, nec profanè uti licebit.

Lex 143. Marcellus.

¶ Et si nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi æquitas euidens poscit, subueniendum est.

Interpretatio.

Quũquam in perpetuũ durare uideatur, quod solemni sentẽtia, aut decreto, aut lege cõstitutũ est, tamen quãdo ex æquo necessitas occurret, sine dubio, ne malitiosè in iure uersetur, fauorabilius erit, ut subueniatur. Bonus enim uir legũ corrector, emẽdator, interpretator, caussam ipsam cognoscet. Cum leges ubiq; locũ nõ habent, si in eas peccatũ uisum fuerit, aut ignorãtia, aut sexu, aut ætate infirma. Tum omnes restituentur in integrũ caussa cognita, Quare utilitas huius tãta est, ut cõmendatione non egeat, per se enim, ipsa se ostendit.

Lex 144. Celsus.

¶ Vani timoris iusta excusatio non est.

Interpretatio.

Cum metus (qui est futuri mali ægritudo) uani hominis dicatur, nõ qui in hominẽ constãtissimũ cadat. Nullus locus erit excusationi, quæ duntaxat est maioris mali. Nã si quis armatos hoĩes fugerit, & aduentũ nõ expectauerit, nõ ui militũ, sed potius uano metu eiectus est.

Lex 145. Celsus.

¶ Impoßibilium nulla obligatio est.

Interpretatio.

Ea tantũ, quæ natura sui, possibilia sunt, in obligationẽ perueniunt. Nam de ijs rectè negociũ gerimus, quæ nostris usibus subijciuntur.

At uero illa, quæ fieri, aut euenire secundū naturam nequeunt, nequaquam nobis ius nouū acquirunt, ne illis aliquando obligemur, ut si spospondero partus ancillarū, qui nullo tempore spectari debēt, (quod sint steriles) obligationis nomine in iudicium non uocabor.

Lex 146. Celsus.

¶ *Nibil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolui poßit: & cum soluendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest.*

Interpretatio.

Cum omens ad pecuniā accipiēdam, quæ nobis debetur, & ad solutionis finem, ducimur. Duo igitur tempora existunt spectanda. Vnum eorum, qui promiserunt aliquid, quando per naturam sese obtulerit. Alterum eorum, qui ad tempus, uel in diem obligati sunt. Illud uero inesse dicitur, quando idoneum est, ut capiatur, quod promissum, ut si promisero centum modios frumenti ante messes peti non debent, sed spectandum erit donec in horreum reponantur. Hoc autem, si conditionis, uel obligationis tempus præteritum dicatur, tum agendi facultas cuique maximè conseruatur. Vtrunque igitur non certo fine & termino cōsistit, qui, ut uidemus, ad actiones tractandas etiā difficiles, & obscuras magnopere confert.

Lex 147. Celsus.

¶ *Si quis prægnantem uxorem reliquit non uidetur sine liberis deceßisse.*

Interpretatio.

Quid suauius hominibus datum est, à natura, quā sui cuique liberi? patri enim uero & propter eorū indulgentiā & propter formā sibi

similem anima sua chariores sunt. Tamen eos nō tanta uoluptate edu cauit, quāta, si caruerit ante, graui morbo reuocati, restituātur. Quoniā desiderata magis, q̄ sæpe percepta delectāt. Quorsum igitur hæc? ut possimus intelligere, quid hoc caput intus habeat. Vnde dicendū nobis est etiā si incognitū fuerit, nec satis spectatū, eū, si uiueret, aliquādo liberorū tali uoluptate fruiturū uxore relicta grauida, post mortē suā. Ideo sine liberis mortuū nō esse nemo est qui nesciat. Ex quo fiet, ne ius testamēti soluatur, natis liberis, qui in numero suorū filiorū numerātur. Cōsule legem. A ui mortui, de rerū & uerborū significatiōe.

Lex 148. Celsus.

¶ *Vbi pugnātia inter se in testamento inueniuntur: neutrum ratum est.*

Interpretatio.

Quicquid repugnat, id eiusmodi est, ut cohærere nunquā possit. Si enim mente integra testator cum suos hæredes instituerit, sibi cōtradixerit. Verisimilius erit dicere, quasi nō actū testamentū. Hoc igitur incōmodi obuiā uenit, ne adeūdi hæreditatē facultas inde cōsequatur. Quoniā si sui hæredes omnes cupiāt iure testamēti, quod nullū, ut cœpi dicere, uidetur, bona defuncti occupare, nō poterūt. Sed pugna hac rumpetur testamētum, quod enim mea sententia ad iuris prudentiam non pertinet.

Paragraphus.

¶ *Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.*

Interpretatio.

Ad iudiciū hoc modo uenimus, ut totam litem, aut obtineamus, aut amittamus. Propterea hoc sumēdū principiū, ut duntaxat agamus de ijs quæ naturæ nō repugnabūt. Nam huiusmodi hominū generi nō subijciūtur, Quēadmodū, si cōpromissum fuerit, mortuū suscitare seruū, satis cōstat nullius diligētia id præstari. Nemo igitur negocio cum na

tura pugnante fraudabitur, cum formula obligationis nihil certũ aliquo tempore polliceatur.

Lex 149. Celſus.

¶ Pupillus nec uelle, nec nolle in ea ætate (niſi adpoſita tutoris authoritate) creditur. Nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris authoritas neceßaria eſt.

Interpretatio.

Admonet quidẽ Celſus iuriſcũſultus hic, quid in pupillis ſeruandũ, qui ab alijs nõ ex ſe pẽdere dicãtur. Nam eorũ ætas infirma impedit, quo minus cum hoĩbus, aut cõtrahant, aut diſtrahãt. Nihil enim ſentẽtia omniũ iuriſcõſultorũ agere poſſunt, quantum ad ius ciuile pertinet in ſui detrimẽtum, niſi tutores adfuerint adiutores ſimulq; approbauerint factũ ſuorũ pupillorũ, ut puta, ſi ematur à pupillis, in abſentia tutorũ ex una parte rectè cõtractum eſt. Ex latere uero pupillorũ non conſtat contractus, nec obligantur pupilli.

Lex 150. Celſus.

¶ Quod euincitur, in bonis non eſt.

Interpretatio.

Verum oẽs intelligimus ea nõ eſſe noſtra, nec inter bona numerãda, quæ iudicio à nobis iuſte repetũtur. Nam cauſſa cognita ſapientiſſimus iudex nos perperam occupaſſe dicet, alterumq; eſſe uerũ dominũ. Exeunt igitur à nobis ad aliumq; transferuntur, quem approbãt, & agnoſcunt idoneũ poſſeſſorẽ aliquãdo fuiſſe. Hoc manifeſtius dicatur de ſeruis à fure uenditis. Qui à nobis aliquo genere euincuntur, ut non nobis liceat habere.

Lex 151. Celſus.

¶ Neratius cõſultus, an quod beneficiũ dare ſe quaſi uiuẽti Cæſar reſcripſerat, iam defuncto dediſſe exiſtimaretur; reſpondit, nõ uideri ſibi principẽ, quod ei,

uem uiuere existimabat, concessisset, defuncto con=
eßisse. quem tamen modum esse beneficij sui uellet,
sius æstimationem esse.

Interpretatio.

Ne à ciuibus suis concordia tollatur nonnunquã principes beneficia
onferunt. Quibus etiã aliquid de iure remissum & condonatũ, modo
uerit rationi cõsentaneũ, & minimè alienũ à iustitia. Quando quidẽ
nterdũ ita præstantur, ut ambiguũ sit, quorsum tendant, ueluti, de eo,
ui à summo principe impetrauit filio surdo substituere ei licere, &
empronium substituit, surdus ducta uxore filium recepit, post patris
ortem, In hoc an rumpatur testamentum. Principes solent sua bene=
cia interpretari.

Lex 152. Marcellus.

¶ Ea, quæ in partes diuidi non possunt, solida à singu
is hæredibus debentur.

Interpretatio.

Quãdo ius aliquod, quod sui natura diuisionem non recipit, ad oẽs
æredes transfertur, in qua forma à defuncto ipsum relictum fuit,
t inde perueniat ad iudiciũ familiæ herciscũdæ fieri nõ potest. Nam
uris ciuilis ratio ab æquitate nunquã seiungitur. Quapropter hoc di
am, ea nequaquã, quæ singulis hæredibus in integrũ debentur, uenire
n prædictũ iudicium, ueluti stipulationẽ itineris, uiæ, actus, haustus,
quæductus. Quia iure ueteri ea non diuiditur, nec diuidi potest. Sed
omnibus in solidũ sine diuisione cõpetit actio, quod est uerius.

Paragraphus.

¶ In re dubia benigniorem interpretationem sequi,
non minus iustius est, quàm tutius.

Interpretatio.

Non solum ualde iustum, uerum etiam tutissimũ erit, in dubijs am=
plecti quod esse melius apparebit. Nõnunquam enim quod dubium est

& incertũ nõ potest per subtile ingeniũ iudicis manifestari. Quare in ambiguis rebus humaniorẽ sententiã sequi oportet. Nam in caussa est præsumptio, ne amplius ambigetur, utrũ hoc, an illud sit accipiendũ. Quod crebrò cõtingit de libertate sub conditione relicta.

Lex 153. Celsus.

Omnia ferè iura hæredum perinde habentur, ac si cõtinuò sub tempus mortis hæredes extitissent.

Interpretatio.

Cum hæreditate iacẽte omnia iura integrè seruãtur, perinde, ac si hæredes statim à morte defuncti eam adisent nec aliquod interuallũ factũ fuisset. Quẽadmodũ uidere solemus in usucapione incœpta, quæ pertrahitur ad hæredes sine sui diminutione. Nam uariũ tempus ante aditam hæreditatẽ ad hæredem transit. Quod est firmamẽtũ actionis, si esset agendum post interturbatam usucapionem.

Lex 155. Modestinus.

¶ Expressa nocent, non expressa non nocent.

Interpretatio.

In hoc capite Modestinus præscribit, quod facile dictu est, documentũ omniũ maximè cõtractuũ, in quibus plures fraudes cõmittũtur multorũ uerborũ expressione, ne imprudentes garrulitate & nimia uerborũ serie cõtrahant. Nã aliquãdo accidere solet, ut nominatim declarata officiant, quãuis omissa tacitè intelligi potuissent, nec essent obfutura.

Lex 156. Modestinus.

¶ Priuilegia quædam caussæ sunt, quædam personæ, & ideo quidem ad hæredẽ transmittũtur, quæ caussæ sunt: quæ personæ sunt ad hæredem nõ transeunt.

Interpretatio.

Cum leges tribuant, adimant, puniat, uetent, iubeant, in genere ad omnes cōstituūtur, nō quidem ad singulos hoīes. Quod ex ueteri iure duodecim tabularū sumptū est. Nam ne priuilegia cōcederētur, sed potius tollerētur de medio, cauebatur, & uolebāt. Ex quo in priuatos homines priuilegia ferri maiores nostri noluerūt. Sed tamē cum tēpora incidūt in fauorē quorundā principes ea cōcipiūt, feruntq; in quos placet, ac uisum est. Quare, ut ait noster Budæus uir doctrinæ singularis (qui Græca latinis ita cōiunxit, ut par sit in utriusque orationis facultate) nostris hoībus magnum adiumentū afferens, dici possunt priua quædā, id est singula iura, quod sint prærogatiua quædā, & principū indultū. Quorū duo sunt genera. Vnū priuatarū personarū, quod cum persona definit, nec eodem hæredes uti possunt. Alterū caussarū, quod ad successores defertur. Adhæret enim suis rebus, quæ non intereunt nec ullo tempore mutari possunt, nisi bello, & aduersa tēpestate, quādo lata sunt in pace aut contra.

Lex 157. Modestinus.

¶ *Semper in conuentionibus non solum quid liceat, considerandum est: sed & quid honestum sit.*

Interpretatio.

Si natura simus honestatis studiosissimi, appetētissimiq;, cuius si lumen aspexerimus nihil quod ut eo fruamur, nō parati simus ferre & perpeti. Nostrū igitur erit cum iudicio cōsiderate & cōstanter negocia, ut pote cōtractus ita peragere, ne quis sentiat ex eo quicquā diminutū ac quod cuiq; nō cōceditur, occupatū. Sed utrūque adeo religiosē seruādum, ne de gradu dignitatis dimoueamur, cogitādo, cōsulendo, iudicādo, quid honestū, quāta uis honesti, quidue liberē singulis hoībus indultum fuerit, quidue cuiq; liceat. Sicut agamus pingui Minerua ne quis cōtrahēdo præter aleam negocij excedat, sed inter utriusq; metas & terminos fortunā tueatur suā. Nā inde quidem simplex quoddam & solū bonū proficiscitur, nihil uero mali: in sola autem uirtute collocatur.

Lex 158. Iabolenus.

¶ Neque in interdicto, neque in cæteris caußis pupillo nocere oportet dolum tutoris, siue soluendo est, siue non est.

Interpretatio.

Si nõ recte quidem tutor, aut negocia aut caussas pupilli curarit: sed in illis dolo malo uersatus fuerit, citra huius utilitatẽ, unde nec factus est locupletior. Sic igitur habetote pupillũ nullo in damno cõsistere, cui tributũ exceptionis beneficium, si in eum agatur. Nã etiã ratio humana rerũ optimarũ magistra infirmos, ac ætate debiles nõ patitur damnis & incõmodis affici. Sed quãtũ potest, curat, restituit, subleuat, prohibẽs etiã quæ omnibus uisa sunt cõtraria, qua re nihil aut cõmodius, aut omnibus ciuibus salubrius. Succisiuis autem temporibus (ne in longum sermonem te uocem) accidunt, quæ opis indigent. Ideo necesse est, illis potissimum opitulari.

Lex 159. Iabolenus.

¶ Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non obtemperat.

Interpretatio.

Cum magistratus lex loquens uideatur, in eum minus peccant, quàm in leges. Qui eius mãdatis nõ obsequũtur & obediũt, sui præsentiam animo cõtumaci nõ faciẽtes. Quod quidẽ omnibus magistratibus iudicia dantur, ut totius populi caussas cognoscãt, unicuique sine iniuria suum reddant. Illi non secus obuiam ire iustis reipublicæ statutis uidentur, quàm per uim omnia iura cum legibus deturbare, si conarẽtur. Quũ nihil ciuibus magis cõtrarium, nihil minus ciuile, quàm cõposita & constituta reipublicæ, quicquam agi quo in ruinam cadat. Quare officium cuiusque in sua terra & prouincia, dominis & iudicibus morẽ gerere. Melius enim est iniusta caussa cadere, quàm turpiter contumacia damnari.

Lex 160. Vlpianus.

¶ Qui in seruitute est: usucapere non potest, nā cum possideatur, possidere non uidetur.

Interpretatio.

Illis usucapio (quæ est acquisitio per possessionē) rumpitur, qui iusta seruitute seruiūt. Cuiusmodi existūt, qui ab hostibus capti fuerūt: quia uerū est eos desijsse possidere. Authoritas quidem eorū cum libertate interijt. Quæ, cum longè & digniora & nobiliora, si amittantur, nec mirū sit, ius usucapionis interturbari sola seruitute. Quæ quidem est postremum malorum omniū, non modo bello, sed etiā morte repellēdū.

Lex 161. Vlpianus.

¶ Nō alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

Interpretatio.

Multū inter se & proprietas, & possessio discrepāt. Quicqd enim apprehēdimus, hoc possessionē uocamus, quā cōparamus usu uel præscriptione. Ideo nec durū uideatur retenta proprietate, si illā nō utēdo amittamus. Qua sola ad tempus certū intermissa, rem nostram nō dicimur distraxisse, aut perdidisse. Ad id enim consensus, quo dominiū trāsferatur in alium, ualde necessarius est, ante quàm uere de bonis nostris exisse dicamur.

Lex 162. Paulus.

¶ Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quàm ipse habuit.

Interpretatio.

Certū est hæredes nō plus iuris habituros, quàm habuit is, cuius bona adepti sunt. Non enim ea cōmoda in eos transferre, quæ apud se nō fuerāt. Nā nō potuit qđ nō habet, alijs relinquere potest. Videāt igitur diligēter hæredes, ne sibi plura attribuāt quàm in adeūdo hæreditatē attingere nequiuerūt. Ea admonemus ut illis cōsultum sit, quando aut

experiundũ, aut rebus hereditarijs utẽdum fuerit, ex quibus multa incõmoda referẽt, si sine iudicio, incõstanter, & repẽtino quodã impetu falso sibi ascribant, quæ defunctus sua nunquam agnouit.

Lex 163. Paulus.

¶ Qui non facit, quod facere debet: uidetur facere aduersus ea, quæ nõ facit. at qui facit, quod quod facere nõ debet: nõ uidetur facere id, qđ facere iussus est.

Interpretatio.

Cognosce ex hac lege duo esse posita, quæ mutuo se inferri uideãtur, cum maximè opposita sint. Quadrifariã autẽ in gratiã beneuolorũ deducemus. Primo, qui nõ obsequitur, quibus tenetur, illis repugnat, quibus morẽ gerere oportebat. Cõtra, qui obsequitur, quibus nõ debet, illis cõsentit, quibus repugnare opus erat. Secundo, qui creditoribꝰ nõ satisfacit, ut iussus est, testamenti legem ex officio nõ perficit. At, qui creditoribus soluit, ut iussus nõ est, facit perinde ac testamẽto teneretur, quod nullum fuit. Tertio, qui non adijt hæreditatem, ut uoluit defunctus, eius uolũtati obuiã uenit, Sed si ingressus bona hæreditatis prohibẽte testatore iniustè haberi hæres conatus est. Postremo cuius bona creditoribus sunt, distribuenda, si habeant seruitutes, & in eorum fraudẽ illis nõ utatur, is non facit, quod facere debet.

Lex 164. Caius.

¶ Libertas omnibus rebus fauorabilior est.

Interpretatio.

Illud de libertate dicamꝰ, ne qua calumnia, ne qs dolus, ne qua fraus adhibeatur, ut hæc integra, nõ læsa, nõ negata, sua priuilegia retineat, suumq; fauorẽ more reorum, quibus etiã præfertur imitetur, & defendat. Nã si de ea cõtrouersia moueatur sæpissime iuris prudẽtia pollicetur sibi charissimã fuisse omnibusq; rebus fauorabiliorẽ. Cũ à natura nõ solum bruta animãtia, uerum etiã omnes hoĩes nõ secus q̃ summum

bonum expetāt. Nihil enim nobis poteſt fore gratius, magiq; humanū quàm cum uirtute facere, ut uolumus. Quare in cauſsis libertatis, qđ decretum á iudicibus uidebitur, pro ea locum obtinebit. Alias reo eſſet fauendum, ut paulo poſt dicetur.

Lex 165. Vlpianus.

¶ Nemo alieno nomine lege agere poteſt.

Interpretatio.

Leges non ſinunt, ut quis in alienis cauſsis agat & defendat, niſi prius interuenerit eorum cōſenſus, ad quos pertineat, iudicium ſuſceptum fuiſſe. A quibus nullā facultatē habuit, debitores aut alios ad iudices cōueniēdi. Ob id nullā actionē intēdere poterit, nec ſibi imputabitur. Nemo enim aſtringi debet, ad id ad quod nō eſt obligat⁹, nec ſi uellet, audiretur, cum ad ſe nihil pertineat. Aliena autē negocia, quis tā audax, tamq; temerarius curare, tueri, ut ſua tractare, niſi iuſſus, conaretur? Neceſſe eſt igitur ante exſpectare ueri domini mandatum, quàm rebus alienis nos immiſceamus.

Paragraphus.

¶ Temporaria permutatio ius prouinciæ nō innouat.

Interpretatio.

Quod ſemel atq; iterum tēpore mutatum dicitur, iuriſdictionum, prouinciarū cōſuetudines nō inuertit. Cōſideremus hoc in Appio pulchro fugiēte cōgreſſum Ciceronis miſsi in Ciciliā. Nō quidē innouauit legē corneliā, qua procōſulibus ad diſcedendū de prouincijs triginta dies cōſtituti erant quādo Tarſi, agebat, ſtatuebat, multa decernebat, iudicabat, cū iā illi erat ſucceſſum, nec ītra dies ſtatutos diſceſſerit.

Lex 166. Vlpianus.

¶ Vbi non uoce, ſed præſentia opus eſt; mutus, ſi intellectum habet, poteſt uideri reſpondere. Idem &

in surdo hic quidem responderi potest.

Interpretatio.

In cõuentionibus bonæ fidei (in quibus præstatur quantũ æquũ est & bonũ) ubi magis necessarius hominis cõsensus, quox, non solũ surdus uerũ etiã mutus, modo id ipsum, quod contractũ est intellexerint satis respondisse uidentur, Nã in his negocijs sermone nõ est opus, animus autẽ solus sufficit, quemadmodũ in emptionibus, uenditionibus, locationibus, alijsq; id genus. In quibus cõtractibus, cõsentiẽdo, obligationes cõtrahuntur, quia neq; uerba, neq; instrumẽta desiderãtur. Iudiciũ nobis est, quod absentes, qui in præsentia nec uerba fecerunt, per literas uel per nunciũ huiusmodi obligationem consensu contraxerunt.

Paragraphus.

¶Furiosus absentis loco est, & ita Pomponius libro primo epistolarum scripsit.

Interpretatio.

Quorũ furore & insania ratio cõturbata uidetur, nõ aliter abesse dicũtur ad cõtractus perficiẽdos, ac si in rebus humanis nõ agerent. Imprimis enim ratione nõ utuntur, qua differimus à beluis, per quam cõtrahimus, cõsensum præstamus, disserimus, conficimus, ac iudicamus. Illi etiã furore suo integra mente cæcati sunt, quod humanitus accidit. Quoniã animus noster est quoddã tenerũ & molle, qđ nõnunquã ægritudine deijcitur. Quare in oĩbus, & per oĩa absentis loco reputantur.

Lex 167. Caius.

¶Fauorabiliores rei potius, quàm actores habentur.

Interpretatio.

In caussa agenda, duo sunt, quorum unus est, qui profitetur se satis idoneum actorẽ, propterea qđ fidẽ, diligẽtiamq; præstare debet. Alter qui se obtulit defensorem, fortasse in re obscura ac ancipiti, quã iudicis excellẽs ingenium uix dignosceret, si de utriusque iure sit sibi dicẽ-

dum. Ideo à maioribus constitutũ, & usque ad hoc tempus conseruatũ est, ut cum nihil certi ostendatur, iudices ad rei liberationem stent faciliores. Quam ob caussam quisque sibi persuadeat propter obscuram dubiamq; rationem, fauore reos iuuari.

Lex 168. Vlpianus.

¶ Nemo prædo est, qui precium numerauit.

Interpretatio.

Nemo rem alienã dicitur sustulisse, cuius preciũ reddidit, atq; teneri petitione hæraditatis ut is, qui posſidet pro hærede uel pro posseſſore, ut sæpe facit prædo, qui non putat se hæredem, cum is si cõmunis omniũ hostis, licet aliquos instituat amicos, quibus nõ solum parcat, uerum etiã prædia sua augeat. Sed huius animi nõ uidetur, qui persoluit ac iustum preciũ numerauit. Cõstat igitur hunc uerũ esse dominũ, nõ raptorem, non furem, nõ prædonem, eiq; nullam pænã constituendam.

Paragraphus.

¶ Locupletior nõ est factus, qui liberũ adquisiuerit.

Interpretatio.

Bona nostra nõ auximus hominis liberi posseſsione, cum à nullo posſideri dicatur, propter excellens nomen libertatis, quo hominũ generi, nihil dulcius à natura datũ est, nihilq; cuiquam fuit iucundius quàm potiri, ut uelit, suauitate liberali, in qua tanta dignitas, tãtaq; maiestas, ut nemo maiora beneficia expectaret. Ea enim fuit Romanorũ celebritas, splendor oppidorũ, ciuium uoluptas, totius orbis forma candida.

Paragraphus.

Cum de lucro duorum quæritur, melior est caussa poßidentis.

Interpretatio.

Intelligunt iura possessorẽ, qui rem occupauit meliorem habere cõditionem, quàm alterum, qui de lucro cõtendit. Cum malæ fidei præsumptio in illo sit minor, ac magis credendũ à uero domino accepisse.

Quare agentis nomen in caussa sua dicēda reformidāt, propēsiores q; sunt ad misericordiam, ut absoluant, quàm implicati cum suspitione pro actore faciāt. Quæ cum ita sint, nemo deinceps dubitet fauorabiliores in iudicijs esse possessores.

Lex 169. Paulus.

¶ *Cum prætor in hæredem dat actionem, quatènus ad eum peruenit: sufficit, si uel momento ad eum peruenit ex dolo defuncti.*

Interpretatio.

Heres nō laborabit, si nihil ad eum peruenerit de pecunia, quàm defunctus aliquo scelere quæsiuerat, eo enim noīe tutus erit. Sed si duntaxat mometo uno in sui rationē duxerit, in extrema sentētia iudicis nulla exceptione utetur. Turpia enim lucra ab hæredibus extorqueri debent, quāuis cum authore scelera pereāt. Veluti quū quæsitū est aliquid ob falsum testimoniū, propter quod, si hæres acceperit, peti posse cōstat.

Lex 170. Paulus.

¶ *In pari caussa possessor potior haberi debet.*

Interpretatio.

Hoc caput idem dicit, quod paragraphus cum de lucro, in lege, nemo prædo, sub eodem titulo.

Paragraphus.

Hi, qui in uniuersum ius succedunt, hæredis loco habentur.

Interpretatio.

Qui integrā hæreditatē defuncti adeunt, hi sunt, loco hæredū. Quoniā quæ dicūtur de hæredibus, ea etiā pertinēt ad omnes successores, apud quos, si seruus furtiuus mortuus fuerit, tenebūtur perinde ac fur, si uiueret. Nā etiā eo nomine furis, legitimi hæredes obligātur. Ideo si

iura eorũ aſpexerimus attẽtius in nullo differre inueniemus. Cum eodem pacto, qui ſibi ſuccedunt, ut reſtituant rem alienam obligati remanent. In eos igitur rei furtiuæ condictio iure optimo dabitur.

Lex 171. Paulus.

¶ Nihil dolo creditor facit, qui ſuum recipit.

Interpretatio.

Qui repetit pecuniã omnem quã credidit, fraudẽ alijs creditoribus nõ facit, etiã ſi anteuerterit, cui neceſſe fuit, ut ſalua ſibi foret, ac ſuorũ bonorũ authoritas retineretur, uindicare, & nullũ locum occupãdi illis relinquere. Nemo enim plus alijs, quàm ſibi prodeſſe tenetur. Quid? ſi alios fraudare dicatur. Interim tamen ſibi cõſulit nõ expectans donec uniuerſa bona debitoris exhauriãtur. Melius enim eſt, in tẽpore poſſidere, ſuumq́; occupare, quàm captum cum magno periculo perſequi.

Pararagraphus.

¶ Cum principalis cauſſa non conſiſtat: nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.

Interpretatio.

Sub eodem titulo ſupra extat caput huic omnino ſimile, licet aliàs deeſſe dicatur.

Lex 172. Vlpianus.

¶ Nunquam actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit.

Interpretatio.

Actiones pœnales de eadem re inuicem nõ ſe perimũt. Quẽadmodũ dicimus in homine iniurioſe cæſo duas actiones cõpetere, unã iniuriarum, per quam ſola iniuria præſtatur, ſed in quod amplius reſtabit ſecũda agendũ erit. Alterũ legis aquiliæ, qua ad damnũ præſtãdũ ex culpa, qui læſit, tenebitur. ſed liberũ erit utrã exercere uoluerit. Quod autẽ amplius erit in altera, illud etiam cõſequetur. Hæ igitur actiões ĩter ſe nõ cõfunduntur, ſed una ꝑ alterã fortiꝰ agere uidetur.

Lex 173. Paulus.

¶Qui dolo desijt poßidere, pro poßidēte damnatur: quia pro possessore dolus est.

Interpretatio.

Quoties dolo malo quis à se fundi possessionē reiecit, is propter dolū intelligitur retinuisse. Adeò enim nō modo uerbo, sed re ipsa se impurū ostendēs, ab æquitate iuris suo scelere, suaq; fœditate abhorret. Nā qui ex industria fecit, quo minus posideret, erit cōdamnādus, ut possessor. Cæterum, ut melius intelligamus, Hæc clausula, Dolo desijt posidere, ad hæc omnia extēditur, siue dolo fecit finem posidēdi, siue recusarit admittere, siue in totū nō extet: quod ab alio occupatū fuerit. Quare ab ioſt petēda erit hæreditas nō aliter, quàm si ꝑpetuò, ut uerus & fidelis possessor seruasset.

Lex 174. Caius.

¶Imperitia culpæ adnumeratur.

Interpretatio.

Quid solet esse turpius ingenuo? quid minus libero dignū, q̄ profiteri in arte sua se abundè expertum esse? quū nihil minus norit, quàm id, quod ad eam attinet. Dicet aliquis eum lōgo usu & experiētia tandē re cognita circa quā uersatur in uirū doctū euasurū. Et hoc quidē fatemur, sed tamen cum detrimēto & iactura aliena. Quot hoc tempore, medicorū imperitia, uitā nō agere, quot aduocatorū imprudētia, ius suū iniustè cedere, uidemus. Vtinam in utrisq; huius legis censura locū haberet. Quemadmodū in artificibus infimæ cōditionis, qui si sarciendū ordinandumue aliquid conduxerint, & peccatū fuerit ob imperitiam, culpam præstabunt.

Lex 175. Caius.

¶Melior conditio nostra per seruos fieri potest, deterior fieri non potest.

Interpretatio.

Cum serui suorũ dominorũ cõsilia nõ norint, & multorũ calumnias neque ratione, nec semper iudicio euaserint, factũ est, ad repellẽda multa incõmoda, ne omnia pro arbitrio seruis liceat tractare. Quod nõ solũ ualde placuit, sed etiã accõmodũ, maximeq; opportunũ sese obtulit. Serui autẽ nõ obligant dominos suos, nisi quãdo cõditionem meliorem facerẽt. Deteriorem uolẽtibus & inuitis, nequaq̃ possunt. Nam etsi domini prohibuerint aliquã tamen pecuniam serui illis acquirũt, & eum, à quo stipulati sunt, obligatum reddunt.

Lex 176. Vlpianus.

¶Non fraudãtur creditores, cum quid nõ adquiritur à debitore, sed cum quid de bonis diminuitur.

Interpretatio.

Creditoribus nulla fiũt incõmoda, nulleq; fraudes, si debitores sua bona nõ auxerint, sed si aliquid distrahere placuerit, ut tandẽ soluendo nõ essent. Nã qui cũ nõ acquirit, possit, nec edicto in fraudem creditorũ tenetur, quod duntaxat pertinet ad eos qui bona sua diminuerint, ac aliquod fecerint, ut habere desinerẽt. Palam est igitur locũ esse in alienatione seruorũ, qui in bonis suis tunc erant, cum credita est pecunia. At uero nullam fraudem facere si hæreditatẽ, uel legitimã, quæ post contigit, repudiarit.

Paragraphus.

¶Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionẽ facere potest.

Interpretatio.

Improbũ nõ est, cũ admissa puniãtur, authorẽ sceleris amittere sua culpa, aut beneficia, aut priuilegia sibi cõcessa, quibus uteretur, cũ liceret, ubi aliquid de manibus suis effugerit. Nimirũ, ne arbitrẽtur bonorũ emptores, qui postquã apud uẽditores, qui de custodia tenebãtur, preciũ collocarint, ea subtraxerũt, furti actione agere posse. Dubiũ nullũ est ad emptores omne maleficiũ pertinere. Vnde caussam duriorem, acerbioremq; fecisse, res ipsa indicat. Alios uero nihil tale cogitantes, liberationem suscepturos, referre debemus.

Lex 177. Vlpianus.

¶ Ea, quæ dari impoſsibilia ſunt, uel quæ in rerũ na-tura non ſunt, pro non adiectis habentur.

Interpretatio.

In cõuentionibus appoſita, ſi aut fieri, aut in rerum natura inueniri nõ poſsint, nõ aliter obligãt, atq; ſi dicta nõ eſſent. Meritò enim ne huiuſmodi aut cõtractus infirmaret, aut legem aliquã indignã adderent, iuris prudentia anteuertit. Res autẽ difficiles & præter naturã, quis putaret formulis atq; actionibus aſſequi. Quas nulla induſtria, nullo cõſilio, nulla experiẽtia aut effingeremus, aut iueniremus. Quãobrem ad eam anguſtiã redigãtur hominũ pacta, & cõtractus, ut ne illo nomine quis cogitet gratã aliquã utilitatem ſibi uindicare.

Lex 178. Paulus.

¶ Bona fides tantundem poſsidenti præſtat, quantum ueritas, quoties lex impedimento non eſt.

Interpretatio.

Qui bona fide poſsidet, tantũ emolumẽti accipiet, quantũ ſi uerus eſſet dominus, niſi aliquid obſtaret, ut puta, cum fructus non creuerint aut ſua, aut ſeruorũ opera, ſed à natura, ut in pomarijs, aut in ſylua. Nam cum ex facto eius fructus, nõ naſcitur, nec ſuũ facit, quãuis bona fide poſsideret. Illum tamen quem ſerendo operis ſuis acquiſierit ad ſe pertinere certiſsimũ eſt. Iuliani enim ſententia. Id iuris illi tributum, quod dominis prædiorum in fructibus percipiendis.

Lex 179. Vlpianus.

¶ Qui authore iudice cõparauit, bonæ fidei poſſeſ-ſor eſt.

Interpretatio.

Cum iudicis officium ſit, etiã ex minimis rebus & præſentium &

omnium quæ ad cauſſam pertinent, coniecturam facere, ut certa minimeq; corrupta cenſura ius dicat. Eſt igitur exiſtimandum cum ſtudioſiſſime ueritatem ſcrutetur, nullum iudiciū falſo terminaſſe. Sed tanta fides illi habenda, ut ſi authoritatem ſuam accommodauerit, nihilominus, etiam ſi res iudicata mihi ſit aliena, uerè bonaq; fide poſſidere dicar. Donec obſcurum è tenebris in lucem uocauerit.

Lex 180. *Paulus.*

¶ Omnis hæreditas, quamuis poſtea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.

Interpretatio.

Primus uerſus huius capitis, cum lege omnia ferè, ſub eodem titulo coincidit.

Paragraphus.

¶ Nunquam creſcit ex poſtfacto præteriti delicti æſtimatio.

Interpretatio.

Sceleribus flagitijsq; grauior pœna accidere non potuit, quàm tempore quo commiſſa ſunt ſi liberum iudicium tum fuiſſet. Nec toties ad nouam æſtimationem deferenda, quoties in uarias mutationes peruenerunt. Sed ad id momenti reducenda, quo conſecuta dicentur, ne maiorem grauioremq; pœnam ſubeant, quam meruerint, qui deliquerunt. Si quis igitur in furem actionem habeat apud quem aſſiduè res contractatur, non magis tenebitur, etiam ſi ea res poſt furtum decreuerit.

Lex 181. *Caius.*

¶ Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereūt, ſemel incluſæ iudicio, ſaluæ permanent.

Prætoris edictum legem annuam dicebant esse. Nam in eum annum nemo poterat progredi, quòd alius futurus erat. In incertũ igitur tempus actiones prætoriæ extendebantur, nisi per litem inchoatam, qua ad successores transibant. Sed ut breuius intelligamus, huc ueniunt tria capita sub eodem titulo, duo quæ incipiunt, Non solet. Tertium, Pœnalia, cum integro titulo institutionum. De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad hæredes & contra hæredes trãseunt.

Paragraphus.

¶ *Non uidetur perfectè cuiusque id esse, quod ex casu auferri potest.*

Interpretatio.

Bona uere nostra non dicimus, neque cum socijs partimur, quæ uel prætor, uel aliquis casus adimere nobis aut uiuis aut mortuis poterit. Cognoscere igitur oportet, cuiusque iuris & dominij naturam, quæ aut tempore aut uoluntate principis contrahentiumq; perficitur. Huius rei specimen occurrit, de eo qui est apud hostes cum dubium sit, an reuertatur, quod legato uel traditione acquisierit, uerè suum nõ dicitur, cũ sit incertũ, an sui iuris, uel eorũ à quibus tenetur, iudicetur.

Lex 182. Vlpianus.

¶ *Absentia eius, qui rei publicæ caussa abest: neq; ei, neque alijs damnosa esse debet.*

Interpretatio.

Qui non est in eo loco in quo petitur, ut puta extra prouinciam suã aut diœcesim, aut suæ ciuitatis terminos, eum dicimus abesse. Cui autem prætor succurrit, si propter caussam & probabilem & iustam, ut pro republica à suis negocijs se abduxerit, nõ ut sibi lucrum faceret, sed ut pro salute omnium ciuium, fortunis ciuitatis, summa reip. utili-

tate, negociaretur, sine ulla contentione non solum defendendus, sed etiam, si opus fuerit, restituendus erit. Nam æquissimum, ne pro beneficijs publicis quicquam de suo diminuatur.

Lex 183. Paulus.

¶ Quod contra rationem iuris receptum est, nõ est producendum ad consequentia.

Interpretatio.

Quoties à principe aliquod priuilegium uni cõceditur, ad alios, qui eadem licentia utantur, non transit, neque extenditur. Nam quæ propter necessitatem inducuntur in consequentiam & argumentum trahi non debent. Laborandũ igitur non est, qualis in multos existat princeps, qui pro multorũ salute, aut remittit, aut cõcedit. Alijs quod maxime necessarium, alijs propter publicam utilitatem. Cuius autẽ tanta est authoritas, ut lex uiua esse dicatur.

Paragraphus.

¶ Vni duo pro solido hæredes esse non possunt.

Interpretatio.

Quemadmodum non occurrit, dominium apud duos in solidum fuisse, ita plures eandem rem in solidum possidere, aut in eadem re hæredes esse non possunt. Nam non est naturale, ut Titius aliquid teneat, idemq; Paulus uideatur tenere. Nisi unus iustè alter iniustè. Sed duos iustè non fieri potest, quis enim in loco in quo sum, sedere posset, Quis haustum aquæ, quem hausi, sorberet? Non igitur illud patitur, aut ratio humana aut rerum natura, ut idem simul eodemq; tempore apud multos habeatur.

Lex 184. Paulus.

¶ *Qui tacet, non utique fatetur: sed tamen uerũ est, eum non negare.*

Interpretatio.

Vbi hominum multitudo coacta, de lege aliqua constituenda, inter quos nonnulli qui latebant, ut repellerent aliorum suffragia, non contradixerunt, nihilq; in uulgus pronunciarunt ad confirmandum aut infirmandum. Profectò minimè turbulenta, temeraria, periculosa fecerunt. Quid ergo? Sine dubio consensisse dicuntur, quamuis inter alios differentes, & negantes, & iudicantes, medium tenerent perpetuò obmutescendo. Non igitur horum taciturnitas aliqua ex parte nõ modo nocere, uerum etiam impedire permittitur. Nam alijs, quantum ad rem, quam gesserunt attinet, omnino si nõ uerbis tamen tacẽdo, in quo latet consensus, adiumentum attulerunt: ut aut perficeretur, aut incrementum susciperet. Quare nihil obstat, quin hisce rebus, exemplo aliorum opitulati fuerunt. Qui uolet obmutescat, modo refragari nõ uideatur.

Lex 185. Vlpianus.

¶ *Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat: & successoribus eorum obstabit.*

Interpretatio.

Quod nocet raptoribus, improbeq; contrahentibus, & eorum successoribus nocebit. Qui enim in agros alienos importunè proruperit, repenteq; aduolauerit, quà potuerit, is duntaxat cum suis hæredibus in eo loco, ac sede ui bonorum raptorum, non ueri possessoris, uersabitur. Quod armis & ense cõsecutus fuerit alienã possessionem, in eam, ut fas est, expulsi ui & armis, restituentur. Non autem magni interest, quantum ad successores pertinet, metu ne, an falsis contractibus, defunctum damnosam hæreditatem reliquisse, in quam sui nõ admittẽ-

tur. Quod parta sit lege improba perniciosáq; audacia. Quemadmodum magistratus, qui subtraxerunt pecunias contra legem Iuliam repetundarum, qua cauetur, ne quid, á quibus non licet, accipiatur, nō potuerunt usucapere. Nec eorum hæredes, ad quos sunt profectæ.

Lex 186. Paulus.

¶ Non omne quod licet, honestum est.

Interpretatio.

Leges, omniáq; iura permittunt, uim atque iniuriam repellere ob sui corporis tutelam. Nam inter homines quandam societatem communitatemq; constituerunt, ex quo efficitur scelus esse, homines hominibus impetum facere & calumniam. Si tamen suis filijs parentes uim facerent, quam fas est repellere, non tamen honestum. Præterea licet lapide ferire aduersarium sui tuendi caussa, ulsciscendi autem honestè factum non esset. sed teneretur fortasse lege aquilia.

Paragraphus.

¶ In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

Interpretatio.

Nullum aliud tempus in cōtentione ob stipulationes uocatur, quàm illud in quo negocium contractum inuenitur. Quando enim filius stipulatus sub conditione in patrem agetur. Id enim temporis duntaxat obseruandum, quo contraxit. Quoniam stipulatio uires capit ex præsenti, quo contracta, licet statim non petatur.

Lex 187. Vlpianus.

¶ Nemo uidetur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

Interpretatio.

Fraude non carent, quæ fiunt contra bonam fidem in rebus mutuo gestis. At cum inter contrahentes nihil celando, ut securitati consuleretur, omnia manifestè sese prodeunt, fraudis expertes uidentur. Sin uerò altera partium, quæ conspiciebat, quid detrimenti inesset, non palam attulerit, sibi imputabitur. Veluti si uenditor, quæ sciebat enarrauit, dixitq; in fundo nullas inesse, quod sciret, seruitutes. Et tamen fortasse emptor per eum iter & uiam alienum hominem cognouerat, nec uenditorem certiorauit. Est enim more improbo uersatus: ideo non sibi empti actione succurretur, qui solus talem seruitutem sciebat.

Lex 188. Paulus.

¶Quod quis, dum seruus esset, egit: proficere libero facto non potest.

Interpretatio.

Cum quis seruus esset, aliquid utilitatis fecerit, non sibi libertatem adepto proderit, tum enim soli domino acquirebat, eius negocijs sua opera consulens. Non quidem sibi, qui alienæ potestati subditus erat parare quicquam poterat. Proinde si tempore seruitutis fundum stipulatus, deinde factus liber, eius partem uel totum pro indiuiso petat, ei nocebit seruitus, quæ inerat, quando contracta est, stipulatio. Rectè igitur definietur eum demum de fundo non agere, qui prorsus ipsum non persequetur.

Lex 189. Caius.

¶Semper specialia generalibus insunt.

Interpretatio.

Ab generis infinitate, ut discedatur ad specialia, quæ subesse dicũtur, sæpe cõfugimus. Nam authore Aristotele, cõfusa magis nobis nota sunt, ac manifesta. Idcirco ex uniuersalib⁹ ad singularia proficiscamur oportet, illa enim multas partes cõplectũtur. Gens autẽ habet plures

gradus & nationes, ut gens Gallica continet Parisinos, Pictones, Lemonicos, & reliquos, qui sunt Gallicæ gentis. Nã gens tanquã genus, natio ut species. Deinde quicquid habet, actum non habet, qui uero actum habet, & iter habere uidetur. Vtrunq; autem, qui uiam, quæ iter & actum in se continet.

Lex 190. Paulus.

¶ Cuius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinet.

Interpretatio.

Quemadmodũ summæ dignitatis, quæ est domina rerum, effectus consurgit, omnium ciuiũ utilitas, cum pace & citra periculum rebus suis perfrui, in statuq; suæ ciuitatis defendi & firmari. Ita grauis illius dicendi facultatis finis erit. Vt in republica non tantum patriæ, uerum etiam & singularibus ciuibus oratione atq; consilio (quod deliberãdi commune est) ualeat. Præsertim cum hæc omnium laude antecellat, flectendo animos populi concitatos, hostibus resistendo, concordia homines hominibus coniungendo. Huius igitur effectus pax, silentium, firmissimæ amicitiæ, quæ omnia, atque id genus, hominum generi, singulisq; ciuibus, parit.

Lex 191. Vlpianus.

¶ Ex qua persona quis lucrum capit, eius factũ præstare debet.

Interpretatio.

Quando in nostrã utilitatẽ uertimus, id quod per alios partũ est, oportet præstare oĩa eius debita, & dãna alijs illata, quæ facta eo noĩe sũt. Si enĩ aliqd feci, qđ quidẽ tibi noceat, mihi uero prosit, meis sumptibus cogẽd⁹ sum tollere, pari ratiõe si is cui⁹ hæres sum, fecerit, perinde

est, ac si ipse fecerim. Et tamen lege ut iudex cognoscat pro rei natura, id damni, quod illatum est. Nam æquissimum est eum sentire onus, qui commodum sentit, aut contra, ut utilitas damnum sarciat.

Lex 192. Vlpianus.

¶ *Parem esse conditionem oportet eius, qui quid possideat, uel habeat: atque eius, cuius dolo malo factum est, quo minus possideret, uel haberet.*

Interpretatio.

Manifesta res est, paulũ interesse, an quis re ipsa possideat, an fecerit dolo malo ne possideret, aut haberet. Nam utrobique, ut in eum creditoribus actio detur, pro possessore habendus est. Caput Qui dolo, sub eodem titulo eandem sententiam habet.

Lex 193. Paulus.

¶ *Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet.*

Interpretatio.

Ius suum retinebit, qui profectò nullo modo accusaretur, maxima ex parte suo munere functus, nihilq; quod æquitati contrarium uideretur, fecerit. Veluti qui domum alienam mandato principis inuito domino demolitus, & in ea platea macellum extruxit, cum soli superficies ad dominum pertineret, damni tamen dati in eum actio nõ subijcietur. Cessauit enim unius ius priuatum post mãdatũ principis, qui fortasse, ita mandarat, ob reip. utilitatem, uel quia suum scelus id iacturæ meruerat.

Lex 194. Vlpianus.

¶ *Hoc iure utimur, ut quicquid omnino per uim fiat, id*

aut in ius publicæ, aut priuatæ crimen incidat.

Interpretatio.

Cum homines conuocantur propter possessionis controuersiam & uim inferunt, ius suum perdũt. Nam non conuenit multitudinem armari sui boni retinendi caussa, & cum maximè eo nomine alijs fiat impetus. Iuri autem nihil tam infestum, quàm uis, aut nihil tam æquitati inimicum, quàm uim inferre armatis militibus. Quod cum ita res se habeat, duo imprimis existunt animaduertenda crimina per uim illata, quæ grauissimè lege Iulia puniuntur. Vnum, quod per uim armatam committitur, quam consequitur deportatio. Alterum uero sine armis, cui imponitur omnium bonorum tertiæ partis publicatio.

Paragraphus.

¶ Deiecit & qui mandauit.

Interpretatio.

Is dicitur deiecisse de naturali sine ciuili possessione, qui in caussa est, cur deiectus fuit, ut qui iussit, uel ratum habuit, uel mãdauit. Nam parui refert, an quis suis manibꝰ deijciat, an uero per seruos suos. Quã ob caussam si serui me imperãte & uolente deiecerũt, dicar deiecisse. Ideo qui iusserim grauabor, non serui, qui factum præstiterunt.

Paragraphus.

¶ *Rati habitio mandato comparatur.*

Interpretatio.

Cum mandato rati habitio, quadrare uidetur, si confirmauit, ratum habuit approbauit, quod diligenter, & sine fraude per alium factum habuit. Hæc dici possunt in eo qui filio suo me emisse seruũ necessariũ ratum habuit, quemadmodũ agerem mandati, ita rati habitione agam. Cõtemplatione meæ emptionis, etiam inquantũ factus est locupletior aduersus patrem actio non denegaretur.

Paragraphus.

¶ In contractibus, quibus doli præstatio, uel bona fides inest: hæres in solidum tenetur.

Interpretatio.

Quando ad fidem bonam in contractibus, ut puta in deposito, in tutela, in negocijs gestis, & id genus alijs defunctus astrictus fuit, & eam demoliendam curauit. Ei religioni adeo uinctus erit eius hæres, ac fuisset, qui contraxit, si uiueret. Quippe cum in suum locum substitutus in eam partem bonorum appellatur, quæ sibi sine legitima caussa non auferetur. Quid postea? ut ferat unà imcommoda si opus fuerit. Nam dolus malus cum bonis in eum transfertur.

Lex 195. Paulus.

¶ Ferè quibuscunque modis obligamur, ijsdem in cõtrarium actis liberamur.

Interpretatio.

Quod consensu contractum dicitur, illud soluimus, aut acceptilatione, aut rati habitione, aut contrario actu. Huc repete caput, Nihil tam naturale, sub eodem titulo, nihil in hac parte te remorabitur.

Paragraphus. Cum quibus.

¶ Cum quibus modis adquirimus, ijsdem in contrarium actis amittimus. ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrunque in contrarium actum est.

Interpretatio.

Possessionis omnium rerum, quæ in mari, in terra, in aere occupauimus, primum robur & uinculum quod cernimus, animus & corpus, quæ utendo, possidendo, fruendo, nobis conciliant dominium, proprietatem, & fructus ipsos. Nam nõ minus res nostras animo quàm corpore attingere uidemur. Qua ex re satis præcipit Paulus iuriscõsultus in acquirenda aut amittenda possessione, Hæc duo esse conseruãda. Cum autem altero deficimus, cum detrimento nostro nõ seruamus, quod semel erat nobis constitutum. Quod enim cuiusque proprium dicitur, in alios transfertur, amissa possessione. Quare quemamodum illis principijs ius aliquod penes nos seruamus, & retinemus, ita si aliter fecerimus, à nobis illud separauimus, Nã constat nos possidere donec nostra uoluntate discesserimus, aut impetu & ui deiecti fuerimus. Qui autem ita deijcitur, amittit possessionem.

Lex 196. Vlpianus.

¶ *Cum par delictum est duorum: semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris caussa: sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris. neque enim datur talis replicatio petitori, aut si rei quoque in ea re dolo actum sit.*

Interpretatio.

In delictis duorum paribus uidendum est quid utrique maxime necesse sit, & quid uterq; consequatur & possit. Illi quidem cum eadem mercede, mutuumq; præmium consequi debeant. & competat ob suum crimen actio in factum utrisque, qua damno afficiantur. Tamen ei in quem prius agetur magis fauebitur, qui locum possidentis, cuius longè melior conditio, quàm petentis subsecutus est. Qui uero agit, necesse habet probare factum rei fuisse in dolo, cum de eo non possit replicare. Hoc autẽ in stipluatore & promissore dicatur, quorum alter alteri fuit impedimento, quo minus ad iudicem ueniret. Quibus ob dolum communem, ut restituantur, nullum auxilium debetur.

Paragraphus.

¶ Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipſam nõ incidit.

Interpretatio.

Ad eum pertinet pænam petere, in quam non incidit. Veluti inter ſocios conuenit ante ſeptem annos nõ à ſocietate diſceſſuros. Interim alter intra tẽpora ſocietatis diſcedendo in pœnam conuentionis inci dit. Eam petet, qui & animo & facto continui ſeptemnij communita tem bonorũ non ſoluturus monſtrauit. Nec ulla exceptio reo proderit, niſi cauſſam probabilem & iuſtam oſtenderit.

Lex 197. Paulus.

¶ Factum cuique ſuum, non aduerſario ſuo nocere debet.

Interpretatio.

Delicta ſuos authores ſequuntur, nulliq; detrimentum afferũt, niſi ijs qui fecerunt. Cum eorum pœna ab uno in alios non poſsit trãsferri. Simili ratione, damna incõmodáq; illis duntaxat nocent, qui intulerunt. Quod autem dici poteſt in eo qui dolo malo, ut ſocietatẽ ſolueret, renũciauit quòd ei aliunde uenerat hæreditas, erat enim ſocie tas omnium bonorum. Solus damnum hæreditatis feret, cõmoda oĩa inter ſocios communicabit.

Paragraphus.

¶ Non uidetur uim facere, qui iure ſuo utitur, & ordinaria actione experitur.

Interpretatio.

Meminiſſe oportebit non omnem impetum facere, qui iuris conſtitutione, actioneq; non improba uſus eſt, ut rem ſuam occupatam uin-

dicaret. Nam qui honestè uersatur in repetẽdis rebus, ille neq; damni dati tenetur. Verum sine iactura aliena liberum cuique est, bonos mores consectando inspicere cognoscereq́; quid à se diminutum fuerit, illudq́; si fieri potest, repetere. In eo enim,, si fecerit, optimo iure cõfirmabitur. Sine ullo igitur metu quisq; defendat, quod ad se pertinere perspicuum fore arbitratus est.

Paragraphus.

¶ *In pœnalibus caussis benignius interpretandũ est.*

Interpretatio.

Cur de pœna aliqua agitur, & dubium aliquod impediat, quo minus iudex non intelligat, quid dicendum, quod minus erit interpretabitur. Nam sæpe accidit furti non teneri, qui iure suo utebatur. Vt de eo qui socius erat, & subtraxit Dicetur potius iure suo uti, quam furti consilium inisse.

Lex 198. Vlpianus.

¶ *Inuitus nemo rem cogitur defendere.*

Interpretatio.

Vim in defendendo nullam habebit caussa, in qua quis coactus patrocinium præstiterit. Nullo enim iure, nulla ratione, nisi ui & uiolentia, quis rem aliquam defendat, cogitur. Nam ante quàm aliquid fiat, necesse est consensu, & libera uoluntate fieri. Is autem non animo furandi frumentũ detraxit, qui metus caussa furatus est. Ita nobis persuadeamus, neminem inuitum defendere, indeq́; nullum commodũ futurum. Ad id enim nemo cogi potest.

Paragraphus.

¶ *Cui damus actionem, eidem exceptionem competere multo magis quis dixerit.*

Interpretatio.

Versus iste sumptus ex capite primo sub titulo de superficie libro quadragesimo quarto Pandectarum, ubi ait Vlpianus superficiarium, ut ad tempus modicum conductam superficiem retineat, in dominum agere posse, qui si ab illo uelit uindicare excipiet. Nã cui datur actio, eidem exceptio de eadem re non denegabitur.

Paragraphus.

¶Cum quis in alicuius locũ successerit: nõ est æquũ, ei nocere hoc, quod aduersus eum non nocuit in cuius locum successerit.

Interpretatio.

Cum succedimus in alicuius locum, iustum est, ut nobis non noceat, quod in eum nihil nocumenti attulit, cuius uices gerimus. Quum enim fundum sine uitio possederim: unde nihil damni mihi poterat accidere. Is qui in meum locum ueniet, siue iure emptionis, siue hæreditario, me auctore, iure optimo utetur, nec sibi quicquam nocebit. Hic etiam uersus desumptus est è capite tertio sub titulo de itinere, actuq; priuato Pandectarum libro quadragesimo tertio.

Paragraphus.

¶Plerunque emptoris eadem debet esse caussa circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris.

Interpretatio.

Qui emit eodem iure petet, defendetq;, quo & uenditor, si res adhuc penes eum esset. Nam nullus plus commodi aliquo iusto titulo in alium mittere dicitur, quàm ipse habere uideretur. Ex quo fit emptorem tantum iuris in re empta, quantum, cum uenderetur, eius auctor habuit.

Paragraphus.

¶ Quod cuique pro eo præstatur, inuito non tribuitur.

Interpretatio.

Beneficium, quod solet dari cuique, nolẽti non conferetur. Nam inuito priuilegium non datur. Cuique autem licet abijcere, quod pro se constitutum est. Minor enim, si uelit, in integrum restitutione non utetur.

Lex 199. Vlpianus.

¶ Ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, uel sceleris: in his ignoscitur seruis, si uel dominis, uel his qui uice dominorum sunt (ueluti tutoribus & curatoribus) obtemperauerint.

Interpretatio.

Si serui attrocissimum crimen mandato aut iussu dominorum admiserint non defendentur: sed cum suis dominis, in capitis pœnam adducentur. Nam leges duodecim tabularum noluerunt eos morem gerere in atrocibus (ut sunt furari, occidere, adulterari) sceleris terrorẽ inferentes. Quemadmodum si dominis scientibus occiderint, uel rapuerint in solidum eos obligauerunt, qui delictum fecisse uidentur. Idem dicemus de ijs, qui uires dominorum gerũt, ut sunt curatores & tutores. Sin aliꝭs, ut tenẽtur, obediuerint, quæ etiã parũ legitima apparẽt, facile ueniam impetrabũt. Turpe enim esset illis obuiam ire, reluctariq; quibus obsequi fas est. Omni igitur tẽpore bonos mores imitando, obedientia probatur.

Paragraphus.

¶ Semper qui dolo fecit, quo minus haberet: pro eo habendus est, ac si haberet.

Interpretatio.

Versus iste satis liquet ex duobus capitibus, Qui dolo, & Parem esse, sub eodem titulo supra.

Paragraphus.

¶ *In contractibus successores ex dolo eorum, quibus successerunt, non tantum in id, quod peruenit, uerum etiam in solidum tenentur: hoc est unusquisque pro ea parte, qua hæres sit.*

Interpretatio.

Item hic uersus postremus idem habet, quod paragraphus in contractibus, capitis, hoc iure, sub eodem titulo.

Lex 200. *Vlpianus.*

¶ *Quoties nihil sine captione inuestigari potest: eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.*

Interpretatio.

Huc repete hæc capita, Semper in obscuris, Semper in dubijs, In ambiguis, In obscuris inspici, In obscura, & uersum in pœnalibus, capitis Factum cuique, sub eodem titulo.

Lex 201. *Vlpianus.*

¶ *Omnia, quæ ex testamēto proficiscuntur, ita statū euētus capiunt, si initium quidem sine uitio ceperint.*

Interpretatio.

Quæ ex testamento exeunt, ita formam utilem induunt, quemadmodum à principio fuerunt sine ullo uitio. Si autem aliquid sit, quod non oporteat, illud aberit, cum quo nullo modo ualere poterit. Talis enim est euentus, quale principiū. Pater quidem utile fecit testamētū,

qui seruitutes legauit. Si uero aliud, quod est ædibus iunctũ ab initio non ualuit. Quoniam autẽ senatus censura prohibetur. Hoc inuenies in capite. Cætera, sub titulo de legatis primo.

Lex 202. Vlpianus.

¶ *Omnis definitio in iure ciuili periculosa est, rarum est enim, ut non subuerti poßit.*

Interpretatio.

Cum plerunque oriatur de iure magna dissentio, definiẽdũ est sæpe etiã ex cõtrarijs, sæpe ex dissimilibus, sæpe ex paribus, ut definitio genere declaretur, & proprietate quadam quid sit eluceat. Nõ dubiũ est tamen rationem eius, & uiã talem esse ut nõ semper oẽs formas cõplectatur sub eodem genere. Sed nõnunquã ob uarias multasq; exceptiones è manibus extorqueatur uno uerbo reprehenso, aut addito quo raro fit, ut non subuertatur, & maxime in iure ciuili, ubi ualde periculosa eſt.

Lex 203. Vlpianus.

¶ *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.*

Interpretatio.

Licet ob alicuius delictum damnũ interueniat, tamen non creditur interuenisse quo ad alios, sed ut sibi imputetur, qui cõmisit. Nã inter socios aut alios, ut cohæredes damnũ cõmune esse nõ oportet, quodculpa socij aut cohæredis euenerit. Quẽadmodũ iumenti furto sublati dolo aut culpa eius, qui custodiã præstare debebat, detrimentũ unius erit propriũ, non autem ad communionem pertinebit.

Lex 204. Vlpianus.

¶ *Minus est actionem habere, quàm rem.*

Interpretatio.

Actores ius suũ, quod intendũt habere, cogũtur probationib⁹ multis cõfirmare, meliusq; facere argumẽtis. Vbi multa pericula, & exceptiones occurrũt. Rei uero illud beneficij habent, ut rem suam tanquã ueri possessores teneãt, seruentq; infirmando, refellendoq; oẽs aduersariorũ rationes, quæ cõtra se facere uidentur. in quo multò eorũ cõditio melior est & tutior, quàm agentiũ. Hi enim sæpenumero repulsam patiũtur, nihilq; eorũ adipiscũtur de quibus cõtendebant. Certius igitur est illud tenere, quod contigit, quàm persequi, si in manibus nostris non fuisset.

Lex 205. Vlpianus.

¶Plerũq; fit, ut etiam ea, quæ à nobis abire poßint: perinde in eo statu sint, atque si non essent eius cõditionis, ut abire poßint: & ideo quod fisco obligamus, & uindicare interdum, & alienare & seruitutem prædio imponere poßimus.

Interpretatio.

Rebus ita sæpe accidit, ut sub duobus dominis esse uideãtur. Altero certo & uero, altero sub cõditione ad aliquod tempus. Ille superat dignitate & dominio, qui si uelit, ut fiant alterius locum dabit, aut de manibus suis eripiãtur liberũ erit, alijs tradendo, aut alienando. Propterea quod primus solus posit obtinere, ad seq; reducere. Sicut in ijs usu uenire uidemus, qui ad momẽtum temporis res suas aut fisco, aut alteri obligauerũt. Pro animi sui libertate eas in alios trãsferre, aut uendere, aut seruitutes imponere possunt. Cum sint in eo statu & cõditione, qua abire, aut non abire, ab illis queant. Quare quod semper in numerum rerũ nostrarũ aggregare solemus, nihil impedit, ut retineamus, aut aliorum faciamus.

Lex 206. Vlpianus.

¶Iure naturæ æquũ est, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem.

Interpretatio.

Quid prodest domos amplissimas, aut fundum pingue à parentibus relictũ, aut alia ratione tenere, honestè quæsitũ, si incertum sit, an retinere possis? Cum non solum à natura, uerũ etiã lege ciuili & publica prohibitũ fuerit, ne perturbarentur, cõmutarẽtúrue iniustè rerum dominia? quæ fuerint à maioribus descripta finibus, possessionibus, itineréq;. Quid igitur magis impium legem naturæ & hominum perdere, inuertere, & omnino cõfundere, non solum possessionem pauperũ ui occupãdo, uerũ etiam pupillorũ facultates calumnia, & dolo malo rapiẽdo? Quapropter nõ minus diligẽter ea quæ à maioribus accepimus, seruare studeamus, sed etiã ab omni rapina & incommodo, si fieri potest, defendamus. Hoc enim tempore, nihil tutũ est, nullus autẽ studet, nisi ut iure, aut iniuria, suas fortnas augeat.

Lex 207. Vlpianus.

¶ *Res iudicata pro ueritate accipitur.*

Interpretatio.

Cum iudiciũ in codicem publicũ relatũ est, quod salutẽ & utilitatẽ cuique pollicetur, locũ habebit perinde ac certius certo esset. Tantã enim rem enunciat, ut in authoritatẽ reducatur, tantamq; uim, ut ius ei pro quo datũ est, inducat. Non autẽ arbitror, an satisfaciat, nec nei quoniã cõflatũ æquitate & iustitia esse cõstat. Perspicuũ igitur ipsum nihil polliceri, nisi quod uerũ, simplex & pium, in quo nihil criminaretur, liceretq; unquam reprehendi. Absurdũ enim esset, si quisquam eius fundamenta euertẽre conaretur.

Lex 208. Paulus.

¶ *Non potest uideri desysse habere, qui nunquam habuit.*

Interpretatio.

Tota uis huius capitis est in uerbo HABERE, quod generale ad ius dominij & possessionis. Cum etiam fur dicatur habere, si possideat. At qui nunquã habuit, in eam partem non eatur, ut desinat aliquãdo habere. Quod enim initiũ nõ habuit exitũ nullũ consequetur. Quemadmodum, si colonus non fuit in fundo, post eius mortem, hæres nullo iure possidebit, quod à defuncto non accepit. Nam non dicitur finem habendi fecisse, ut in suos transferret. Qui uenissent in istum fundum, non aliter quàm esset in bonis coloni mortui. Nullo autem tempore, usus est, possedit, coluit. Nihil est igitur, si ingredi experiantur, quòd rem alienam iniustè occupent.

Lex 209. Vlpianus.

¶ Seruitutem mortalitati ferè comparamus.

Interpretatio.

Seruitus, cum sit miserrima, conditionem durissimam intulit. Nam qui seruit, si spectes actus ciuiles, & maximè solemnes, uitam agere nõ dicitur, nec cum alijs hominibus natũ esse censemus. Quid autem infortunij in seruiẽdo nõ suscipitur? Quid denique in seruorũ sorte potest spectari, nisi calamitosum? Quàm dura est domina, quàm misera est illa seruitus? Nihil enim honoris, imperij, dignitatisq; admittit. Cum oĩa solemnia iuris, cum quibus cõmunionẽ nõ habet, exercere prohibeatur. Quare si seruus tabulas testamenti obsignauerit nullæ sunt, qui non habuit facultatem faciendi testamentum, per quod aliquis in possessionem mittatur.

Lex 210. Licinus Rufinus.

¶ Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto conualescere non potest.

Interpretatio.

In hoc capite nobis dicendum, eius hominis testamentum nulla ratione ualere, quod ab suo auctore, cui non concessum erat, ut institue-

ret, uim aliquam non suscepit. Nam hic elegantissimè definitur institutionem locum non habere, quæ ab initio non ualuit, ut si furiosius aliquem suorum testamẽto hæredem instituerit, cum compos mentis erit, inutiliter eo testamento institutus experietur, ut in hæreditatis iura recipiatur. Nam tractu temporis testamentũ conualescere nõ potest.

Lex 211. Paulus lib. 69. ad edictum.

¶ *Seruus reipublicæ caussa abesse non potest.*

Interpretatio.

Singuli quidem hominum seruitutem ferre possunt, nulla respublica potest, nec aliam ob caussam, nisi quòd seruitutis fœditatem fugiat, qua ut careat, omnia etiã bella, & clades maximas perpeti mauult. Cum ad uirtutem dignitatemq; omnia referat. Quare serui caussa reipublicæ abesse non possunt, cum negocia ciuilia tractare non dicantur. ut milites ducendo, aut reducendo, aut principi gratulando. Si quid igitur amiserint, nec restitutionis auxilium implorabunt.

Titulus decimus septimus digestorũ seu Pandectarum iuris ciuilis libri quinquagesimi, ex fide antiquißimorum codicum, tum Pandectarũ Florentinarũ notis, quo ad eius fieri potuit, diligentißimè restitutus, finit.

Laus deo opt. max.

Ad nobiliß. D. Protonotariũ Tauriuum Marcum Calmontanum P. Cruſelij in F. Iãmetij interpretatonem Epigramma.

Optaſti Taurine dari compendia iuris:
Hæc tibi Iammeti Regula docta dabit.
Texuit obſcuras leges Iammetius, illas
Exhibuit magna ſub breuitate tibi.
Quæ tibi congeßit multos quæſita per annos,
Gottorum fugiens tecta ſuperba nimis.
Fronte igitur capies hilari chartacea dona
Permultis alijs anteferenda, Vale.

Epigramma F. Iammetij ad F. Floretum iuriſconſultum.

Diſperеam, ſi te mihi quiſquam charior uno
Nunc fuerit, quis te dulcior eſſe poteſt?
At ſum, qui fatear, debere tibi bona multa:
Per te doctior autem mea Muſa manet.
Quare illud ſatis, & ſi nunc permittis amari
Cum tibi non poßim grandia dona dare.

Caroli Marthani Fontebraldenſis Hendecaſyllabi ad Lectorem.

Vide quàm bene conſulat diſertus
Hic Iammetius, omnium ſaluti

Lector,qui petit eruditione
(Vt certe uaria refertus ille eſt)
Virtutum cupidos ſua iuuare
En adeſt tibi,ſanus hic libellus
Iuris,quem uario labore quemque
Diuerſa,explicat eruditione:
Hunc legas,uberes(ſcio futurum)
Fructus eſt tibi lectio datura.

PARISIIS.

Apud Michaelem Vaſcoſanum uia ad diuum Iacobum,ſub ſigno Fontis.

M.D.XXXIII.